DE

REI PUBLICAE ROMANAE FORMA,

QUA

L. CORNELIUS SULLA DICTATOR TOTAM REM ROMANAM ORDINIBUS, MAGISTRATIBUS, COMITIIS COMMUTAVIT

QUAESTIO PHILOLOGICA

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE PRAEMIO SECUNDARIO DECORATA.

SCRIPSIT

DR. CAROLUS RAMSHORN.

LIPSIAE
SUMPTIBUS VETTER ET ROSTOSKY.

1835.

VIRIS
AMPLISSIMIS, PRAENOBILISSIMIS, DOCTISSIMIS,
SEMINARII PHILOLOGICI IENENSIS MODERATORIBUS OPTIMISQUE PER TRIENNIUM PRAECEPTORIBUS MEIS

HENR. CAROL. ABR. EICHSTADIO

ORD. SAX. VIMAR. FALCONIS ALBI EQUITI THEOL. ET PHILOS. DOCTORI, M. DUCIS SAX. A CONSILIIS AUL. INT. ELOQ. POES. ET LITT. ANTIQU. PROF. P. O. ACADEMIAE IENENS. SENIORI etc. etc. etc.

FERDINANDO HANDIO

PHILOS. DOCTORI M. DUCIS SAX. A CONSIL. AUL. PROF. P. ORD. etc. etc. etc.

CAROLO GOETTLINGIO

PHILOS. DOCTORI M. DUCIS SAX. A CONSIL. AUL. PROF. P. ORDINARIO etc. etc. etc.

ET

I. T. L. DANZIO

THEOL. ET PHILOS. DOCTORI M. DUCIS SAX. A CONSIL. ECCLESIAST. INT. PROF. P. ORD. etc. etc. etc.

D. D. D.

AUCTOR.

Quum ante quatuor fere annos, impetrata abeundi in literarum academiam venia, ex gymnasii Altenburgensis umbraculis discederem, ut in apertiore campo et quasi magis aprico ingenium meum experirer, Ienamque essem profecturus, unum tantummodo nomen, et patri meo et mihi ipsi amicissimum, omnibus autem viris doctis notissimum, mihi erat in mente, de quo optima mihi augurari possem. Tu eras, *Eichstadi*, Vir Amplissime, quem summum erga patrem amorem in me transfusurum esse sperabam, quem studiorum meorum moderatorem atque praeceptorem evasurum, prius quam illa aggrederer, maxime gaudebam. Quod vero illo tempore sperabam, et sperare tantum poteram, factum est per triennium illud iam praeterlapsum. Qualem enim semper Te erga me praebueris, testes sunt et multae res, quas singulas enumerare, amicitiae officium vetat, et singularis Tuus erga me amor, et haec ipsa dissertatio, cui in oratione Tua in memoriam Goethii habita fortasse nimium tribuisti laudis. Peto igitur etiam atque etiam a Te, Vir Venerande, pro Tua in me perpetua et maxima benevolentia, huncce libellum, curis secundis correctiorem, auctiorem multisque locis mutatum ne gravate animoque alieno ab homine beneficiorum Tuorum memori accipere velis, sed tamquam documentum egregii amoris erga Te mei, summaeque reverentiae. Fac etiam in posterum mihi faveas meque amare pergas.

Tu vero *Handi*, Vir Clarissime, non solum primo statim tempore, quo Ienae versabar, verum etiam per totum illud triennium ita Te semper erga me gessisti, ut fere nescirem, qua re tanto me, tamque eximio amore dignum censeres. Lectiones vero Tuae de passere Lesbiae, de bucolico carmine Theocriti, de Sophoclis tragico sermone, de Demosthenis eloquentia, ita menti atque animo obversantur meo, ut maxima cum iucunditate illius temporis reminiscar, quo Tecum et cum amicissimis Semi-

narii sociis de venustate, pulchritudine, elegantia illorum antiquorum scriptorum mihi licebat disserere. Itaque hunc librum Tibi quoque dedico consecroque, quem testimonii atque pignoris loco excipere velis, Tui, Doctoris optimi, Tuorumque praeceptorum, semper fere memorem.

Et quo Te nomine compellabo, *Goettlingi*, Vir Clarissime, cuius laudem, ante quam Te vidissem, fama ad me perlatam singularis Tua in me benevolentia egregiusque animi candor comprobavit. Unquamque Te satis venerari aut gratiam referre potero, cuius tum ingenium divinum, tum eximiam humanitatem, probitatem, industriam ceterasque virtutes saepe tacite admirabar, qui studiorum meorum moderator fidissimus in historia, lingua, antiquitate Graecorum et Romanorum exstiteris! Aut quo nomine magis iure meo istas primitius decorare possum, quam Tuo, cuius impulsu et hortatione meum studium ad hanc historiae Romanae partem convertebam, cuius liberalitate mihi totus librorum apparatus, ad hunc libellum elaborandum mihi necessarius, suppeditabatur. Lubenti igitur atque benevolo animo parvum hocce munusculum pro Tuo in me amore admittas, quod Tibi offero cum precibus ex intimo pectore fusis, ut fausta Tibi omnia atque laetissima contingant.

Te denique saluto, *Danzi*, Vir summe Venerabilis; Tu enim Tuique ea me amicitia dignum iudicavistis, ut non solum domus Vestra mihi semper pateret, sed etiam tamquam familiaris inter amicissimos versari mihi viderer. Gratissima mente illorum dierum hilaritatem voluptatemque recolo, ad quam perfruendam me tam saepe domum Tuam invitabas; recordor doctrinae Tuae ubertatem, praeceptorum subtilitatem, peritiam, sapientiam, quam lectionibus Tuis nobis impertire solebas. Pro Tuo igitur erga me amore patieris hocce munusculum esse monumentum pietatis discipuli Tibi deditissimi, votisque optimis pro Tua salute incolumitateque Te prosequentis.

Sic valete, Viri Summe Venerabiles, Amplissimi, Doctissimi, mihi vero Carissimi, atque hunc me spem concipere patiamini, in Vobis meum specimen aequos esse iudices habiturum; cuius voti si me compotem feceritis, magnis me ausis non prorsus excidisse arbitrabor.

§. 1.

Liberarum civitatium leges atque instituta nonnisi civium ipsorum iustitia, animi temperantia, morum sanctitate stare posse; iniuria, avaritia, luxuria perverti, atque inde effrenatarum libidinum licentiam et protervitatem, ambitiosorum hominum contentiones, crudeles immoderatorum civium dominatus, scelestorum audaciam et flagitia, publicam vim ac caedes, bonorum direptiones, omnis generis calamitates ac miserias uno velut agmine tamquam funestam prolem oriri, quum veteris Graeciae populique Romani historia abunde docuit, tum vero rerum nostra memoria gestarum eventu comprobatum est. Itaque recte quidem illi, qui rei publicae consulere vellent, quum viderent, nullam magnam civitatem diu quiescere posse; si foris hostem non habeat, domi invenire 1) adversus externos hostes convertenda esse civium arma suaserunt: atque dum Cato, inveterato Poenorum odio stimulatus, Carthaginem esse delendam, clamitat, Scipio Nasica multo sapientius, servandam esse, censuit, ne metu ablato aemulae urbis, luxuriari felicitas urbis inciperet. 2)

Sed sicuti una de lege in civitatibus liberis, sive abroganda illa, sive perferenda, magnae saepe exsistunt turbae magnoque partium studio res geritur, atque si quid novatum est, id multas quidem multis afferre potest commoditates prosperitatesque, plurium tamen interdum etiam commodis salutique officere atque vel rei publicae detri-

1) Liv. 30, 44, 8.
2) Flor. 2, 15, 5.

mento esse; ita sicubi summa res agitur deque universis legibus dimicatur, non potest fieri, quin tota civitas concitata in partes discedat, neque id, quod fere fieri solet, armorum civilium fortunae commissa victori tandem concedat, qui deinde rempublicam pro arbitrio administrat legesque veteres alias tollit, alias rationibus suis accommodat. Atque hoc quidem civitati Romanae accidit, quum post diuturnas seditiones intestinas tandem factionum duces de ipsa tamquam praemio proposito dimicassent,3) ut Sulla victor totam rem publicam ordinibus, magistratibus, comitiis commutaret.

§. 2.

Dolendum vero est, auctorum idoneorum, qui de rebus a Sulla gestis perpetuas historias scripserunt, certe aequalium, nullam esse copiam. Nam Sullae commentarii, quos de sua vita scripserat, praeter pauca illa, quae Plutarchus ex iis commemorat, temporis iniuria interierunt, eandemque fortunam habuere Sallustii historia Romana et Livii liber undenonagesimus, qui Sullae acta complectebatur, quorum iacturam neque Brossii ingenium et doctrina, neque Freinshemii studium literaeque reconditae et exquisitae ex dispersis ac dissipatis passim membris ita resarcire potuerunt, ut rerum gestarum auctoritatem et fidem modo, modo integritatem ac perfectionem, omnino autem scriptoris ipsius manum non desideres. Itaque Appianus superest et Plutarchus, qui ducentis et amplius annis post Sullam scripserunt; Appianus, auctorum, ex quibus hausit, fide et gravitate praestans et sincerus ille quidem, sed tamen Graecus, et brevior; in Plutarcho vero credulitatem et parum accuratam diligentemque scriptionem vituperant; Dio Cassius hac parte mutilatus est. Strictim res Sullanas attigerunt Velleius, Florus, Orosius,

3) *Μετὰ δὲ τοῦτο στρατοῖς μεγάλοις οἱ στασίαρχοι πολέμου νόμῳ συνεπλέκοντο ἀλλήλοις, καὶ ἡ πατρὶς ἆθλον ἔκειτο ἐν μέσῳ.* Appian. B. C. 1, 55.

iidem aetate longe inferiores; reliqui passim tantum Sullae mentionem fecerunt, ut Sallustius, Cicero, Valerius Maximus. Omnes autem, quia longius aberant a Sulla, rerumque status interim mutatus fuerat, vel raro, ut Appianus, vel minus recte de illius actis, plerique etiam non sine ira et studio iudicarunt. Horum igitur scriptorum haud raro inter se discrepantium narrationes et sententias quam difficile sit inter se conciliare et inde vera eruere, ex occultis indiciis, quid factum sit, ex factis causas colligere, obscura saepe in tanta antiquitate et incerta vestigia persequi et hominum ingenia, mores, consilia noscere, falsa, speciosa, suspecta a veris et certis discernere, senserunt quum alii et olim et nostra memoria, tum vero ego et antequam hoc opus suscepi, quum viam, quam eram ingressurus, tot tantisque difficultatibus impeditam viderem, et in ipso itinere diu sane multumque saepe mecum deliberavi, an pergerem, ac paulum abfuit, quin a tanto conatu deterritus plane absisterem, ni diffidenti viribus meis ac plane desperanti Iudicum aequissimorum eorundemque Doctorum meorum summe venerandorum humanitas animum addidisset haesitantemque in viam prope derelictam reduxisset. 4)

Proposita erat ab Amplissimo Philosophorum Jenensium ordine quaestio nostra his verbis:

„*Describatur rei publicae Romanae ea forma, qua Luc. Cornelius Sulla Dictator totam rem Romanam ordinibus, magistratibus, comitiis commutavit.*“

---

4) Hanc dissertationem in publicum editurus eram, quum Zachariae V. Cl. liber de Sulla inscriptus in manus meas pervenit. Cuius viri doctrinae, acumini, dicendi elegantiae tametsi me videbam longe imparem, de Sulla vero eiusque actis secus iudicantem, tamen a proposito meo, quo illam Doctoribus meis ac pietati tamquam monumentum consecrare statueram, me avocari religio fuit, et, ne id committerem, acutissimum Poelitzii V. Ill. de illo libro iudicium monuit. cf. Poelitz Jahrbücher 1834. Heft 6. p. 560. Hanc excusationem apud lectores benevolos et aestimatores aequos valituram confido; si vero meam opellam non plane inutilem iudicaverint, satis habebo.

Hanc quaestionem, quo facilius ea singula cognoscantur, quae pertractanda nostra commentatione suscepimus, in tres partes dividi placuit, quarum

prima formam rei publicae Romanae describet eam, quam habuit, quum Sulla dictaturam invasit, docebitque, a quibus initiis orta successu temporis eam assecuta sit;

secunda ostendat, qui factum sit, ut Sulla dictaturam adipisceretur, eamque potentiam, cui nemo auderet resistere;

tertia demonstrabit, quae Sulla non modo generatim novaverit, verum etiam qua ratione ordines, magistratus, comitia immutasse dicatur.

§. 3.

Roma olim ex tribus oppidis, in monte Palatino a secessione Albana, in Capitolino et Quirinali a Sabinis, in Caelio ab Etruscorum agmine conditis,[5] in unam urbem, incolarumque totidem tribus in unam civitatem sub uno rege coierant, in quibus trecentae *gentes ingenuae* secundum regiones urbis, ubi habitabant, in triginta *curias* cum suis quaeque sacris et clientibus divisae erant.[6] Accesserant deinde victi, Albani, quibus Tullus rex sedes in Caelio, alii Latini, quibus Ancus totum Aventinum concesserat, veteribus illis civibus iure et conditione longe inferiores, qui *plebi* Romanae originem dederunt.[7] Inde Servius Tullius instituto Censu, agroque Romano in partes triginta, universo populo in sex classes civium et 193 Centurias, singulas cum iure suffragii, diviso, civitatem ita temperaverat, ut qui genere at-

5) cf. Niebuhr Roem. Gesch. 3. Ausg. I. p. 317 sqq. Tac. 4, 65.

6) Nieb. I. p. 339 sqq. Singulae Curiae ducena iugera agri limitibus suis finiti possidebant, ut totus eorum ager esset sex millium iugerum. Dionys. 2, 7.

7) Ab Anco Marcio plebis origo repetenda est, propterea quod ab eius regis aetate demum Latinitas (latein. Element) in dies crevisse dicitur, non cum Niebuhrio a Tullo Hostilio.

que opibus praestarent, ii et maiorem publicorum onerum partem sustinerent, et maiorem potentiam tamquam praemium auferrent; pauperiores contra pro inferiore conditione oneribus publicis levarentur.[8] Ultimum regem Tarquinium Superbum, qui pristinum tributum centenorum assium viritim revocaverat, principes civitatis, impotenti eius dominatione offensi, cum tota familia regia expulerunt.[9] Distinguebantur illa aetate 1) *Cives ingenui*, in 300 gentes initio descripti, in quas postea Tullus principes Latinorum exceperat.[10] Iidem a patrocinio clientium suorum Proci, Proceres et Patroni appellabantur; Patricii ut Patrum s. senatorum progenies, penesque eos erant auspicia, sine quibus nihil publice geri licebat, honores sacri, civiles et militares, totiusque rei publicae administratio.[11] 2) *Clientes*, Patronis suis, quibuscum sacra communia habebant, eorumque agros colebant, et genere et conditione dispares, ut illis obstricti mutuis officiis, ceterum liberi;[12] 3) *Plebeii* homines, liberi illi quidem, sed sine suffragio et exclusi a Patriciorum connubio atque ab honoribus; sed militiam et tributa cum ceteris civibus communia habebant; 4) *Servi*, quorum corpora in dominorum suorum erant potestate. Regi consilium 300 Patrum adest, ex illis totidem gentibus lectorum, i. e. Senatus, qui consulta sua de rebus ad sacra pertinentibus et de imperio magistratibus dando ad Curias,

---

8) Liv. 1, 43. Dionys. 4, 15 — 21.

9) a. U. 244. ante Chr. 510. Liv. 1, 60. Cic. Rep. 2, 30.

10) Liv. 1, 30. Ita patricia gens Claudia ex Sabinis post reges exactos sexto fere anno (a. U. 250.) a Patribus in patricias cooptata. Suet. Tib. 1. Liv. 2, 16, 4. 5. cf. 6, 40, 4. 10, 8, 6. Drak. ad Liv. 4, 4, 7.

11) cf. Festus v. *Procum patricium* et v. *Patricios* Liv. 10, 8, 10. cf. 1, 8. extr.

12) De mutuis officiis Patronorum et Clientium cf. Dionys. 2, 10. Plutarch. Romul. c. 12. Suffragium habuisse Clientes, Dionysius falso statuit, ad eum errorem fortasse eo deductus, quod nullum inter Clientes et Patronos discrimen fuisse opinabatur.

aut ex Servii commentariis, de magistratibus creandis, de novis legibus, de bellis foederibusve faciendis ad centurias populi refert, comitiorum deinde iussa auctoritate sua sancit. Rem publicam defendunt equitum centuriae initio tres, inde Tarquinio Prisco duodecim ex Patriciis, quibus a Servio rege sex (sex suffragia) ex opulentissimis plebeiorum adlecti,[13] peditum legionem tribus sistunt trium, post Servium quatnor millium; regis corpus Celerum centuriae tuentur tres sub suo tribuno. Sacris Curiarum praesunt Curiones, universae rei sacrae Pontifices, qui consulentibus respondent; auspiciis Augures, quorum ex observatione etiam comitia habentur obnuntiantnrve; praeterea deorum voluntatem duumviri sacrorum ex libris Sibyllinis, Haruspices ex victimarum extis interpretantur, ne quid invitis diis geratur. Agri Romani pars sacris, alia regi exemta erat[14]), expulsa regia familia Patriciis in praedam cessit; iidem publici maximam partem occuparant, quam plebs colebat.

§. 4.

Recuperata libertate bini Praetores annui, i. e. Consules cum ipsis insignibus regiis in regis locum successerunt, ex Patriciis creati; cetera instituta manserunt omnia, nisi quod Brutus consul idemque tribunus Celerum, imminutum Tarquinii regis caedibus Patrum numerum ex equitum centuriis, id est, ex opulentissimis civium supplevit.[15]) Itaque summa res omnis penes Patricios fuit et optimatium principatus.

Praeter generis praestantiam agrorumque possessiones etiam pecunia in pretio esse coeperat, ex quo, id est ex

13) Liv. 1, 36. ubi *mille et ducenti* pro *mille et octingenti* legendum est. cf. Cic. Rep. 2, 20. Niebuhr. 1. p. 399.

14) Dionys. 2, 7. Tullus rex primus tertiam agri Romani partem publicam esse iussit, ut Romanis, quibus nullus ager esset, viritim divideretur. Id. 3, 1.

15) Liv. 2, 1. ad fin. Hinc Patres maiorum et minorum gentium. Tac. 11, 25. Ab aliis hoc P. Valerio collegae tribuitur. cf. Niebuhr. 1. p. 583.

assium millibus, cives censebantur.[16] Eo cupidius atque acrius Patricii generis sui dignitatem tuentur, latifundia occupant, pecunias corradunt, inopem plebem sui commodi causa opprimunt: Plebeiorum contra multitudo Patriciorum iniuriis exposita, neglectis propter perpetua bella et militiam, aut vastatis agris et hostium direptionibus exhausta, tributis iniquo suo tempore imperatis vexata, bonis denique amissis obaerata atque creditorum crudelitati addicta[17] circumspiciebat opportunitates et observabat, quibus amissa recuperare et Patriciis aliquid de suo iure extorquere posset. Itaque turbae fere continuae ac seditiones domesticae, quoties ab externis hostibus otium esset, donec Patriciis iura sua erepta et plebis potentia principibus prope aequata est. Eo autem ut paulatim perveniret plebes, opus erat primum, ut consociatis viribus suis certos duces atque magistratus haberet, deinde ut leges essent scriptae, quibus ius suum tamquam insti ordinis et discrimen a Patribus finiretur.

§. 5.

Senatus igitur trecentorum virorum, genere, censu, aetate, famae commendatione, prudentia insignium, ita tenuit rem publicam temporibus illis, ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur: atque uti consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam, genere ipso ac iure regiam. Quodque erat ad obtinendam potentiam nobilium

---

16) Nummi fusi (non cusi) iam ante Servium Romae in usum venerant; ex Etruria introducti, et as librae pondus habebat. cf. C. O. Müller die Etrusker I. p. 318 sqq. Hoc fuit aes grave, quod successu temporis paulatim ad sextantarium pondus pervenit (non primo demum bello Punico a. U. 487. Plin. 33, 3) cui rationi secessiones populi occasionem praebuisse videntur. Primis Romae urbis temporibus rerum pretia pecore armentoque constituebantur, unde multae ovium boumque Germanorum more (Tac. Germ. 12.) diu manserunt. Gell. 11, 1. Festus v. *Peculatus*.

17) Liv. 2, 23.

vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum approbavisset auctoritas.[18] Atque ea auctoritas ne quando impediretur, si quid e republica visum esset, dictator etiam est institutus decem fere annis post primos consules (a. U. 253.) T. Larcius, novum genus imperii et proximum similitudini regiae et sine provocatione, quo plebs in perpetuo metu contineretur, neque militiam detrectaret.[19]

§. 6.

Plebs contra, ad quam nunc etiam Clientes pertinebant,[20] quum contra Dictatorem nihil opis esset in lege Valeria, frustraque deorum hominumque auxilium implorarent obaerati, facta secessione in montem Sacrum suos Tribunos, legesque sacratas constituit a. U. 260.[21] Tribunis additi sunt tamquam ministri Aediles plebis, qui rerum ad publica commoda pertinentium curam haberent.[22] Et rogatio Publilia resistentibus summa vi Patribus perlata, ut plebeii magistratus tributis Comitiis fierent, quae Patriciis omnem potestatem per clientium suffragia creandi, quos vellent tribunos auferret.[23] Sed libertas utriusque ordinis aequata est denum legibus XII. tabularum,

18) Ipsa Ciceronis verba Rep. 2, 32. cf. Polyb. 6, 12. 13. De Consulum potestate regia cf. Liv. 2, 1. 4, 3. Cic. Leg. 3, 3. De Senatus auctoritate cf. Ernesti Clav. v. auctoritas, 33, a. Cic. Planc. 3, 8.

19) Liv. 2, 18.

20) Liv. 5, 32. 6, 8. Nieb. R. G. II. p. 360.

21) Liv. 2, 33. Dionys. 6, 89. Cic. Rep. 2, 34. Quinque tribuni initio a plebe creati sunt XVI. anno post reges exactos. Ascon. in Cornel. p. 76. Orell. Stroth ad Liv. 2, 58. pr. Erant ipsi sacrosancti et ius habebant auxiliandi plebi etiam non provocati, inhibendi delectum, vetandi senatus consulta, et intercedendi, si quid minus recte ad plebem tribusve populi latum esse videretur. cf. Liv. 2, 44.

22) cf. Cic. Leg. 3, 3, 7. Stroth ad Liv. 3, 6. extr.

23) a. U. 282. Liv. 2, 56. 58.

scriptis illis et publice propositis,[24] quibus non solum ius privatum patriciis et plebeiis commune factum, cautumque inter alia, ne quis unciario fenore amplius exerceret,[25] et ut debitor, nisi intra trinundinum solvisset, ipse cum rebus omnibus creditori addiceretur;[26] sed etiam de iure publico, ut Quaestores bini, qui aerarium curarent, a populo crearentur,[27] et ne connubia plebi cum patriciis essent;[28] ne leges in perpetuum sancirentur, sed uti e re publica visum esset, et pro tempore mutarentur. De Comitiis autem, ut Curiata, sicut antea, de rebus sacris et de imperio cum iure auspicii statuerent; Centuriata, i. e. totius populi, penes quem summa rerum et maiestas esset, novas leges iuberent, magistratus curules crearent, de bello et pace decernerent, de capite civis Romani et de perduellione iudicarent,[29] Tributis denique (quae primum in iudicio de C. Marcio Coriolano commemorantur Dionys. 7, 64. a. U. 263.), tribuni ceterique magistratus plebeii crearentur. In his comitiis quum Patricii, ut tribulibus suis adscripti, interesse possent illi quidem, sed iure suffragii carerent,[30] postquam cives omnes, etiam clientes et libertini, in sua quisque tribu, ubi habitabant, inscribi iussi sunt,[31] quum sors de ordine tribuum suffragia ferentium decerneret,[32] penes

24) Liv. 3, 34. 57. ab a. U. 303 — 305. lata lege Terentilla, ut quinque viri crearentur legibus de imperio consulari scribendis, ne amplius Consules ex ignotis plebi legibus ius dicerent, libidinemque ac licentiam suam pro legibus haberent. a. U. 292. Liv. 3, 9. Postea placuit creari Decemviros.

25) Tac. 6, 16. i. e. ut iu centenos asses capitis quotannis totidem unciae i. e. 8⅓ asses in fenus persolverentur. cf. Liv. 6, 35.

26) Gell. 20, 1.

27) Ernesti ad Tac. 11, 22.

28) Cic. Rep. 2, 37.

29) Cic. Leg. 3, 19, 44. Sext. 30, 65. Zachariae Sulla I, p. 24. sqq. II. p. 60.

30) Gell. 10, 20. 15, 27. Liv. 2, 65. Zachariae Sulla II. p. 61.

31) Liv. 4, 24. 5, 30. 32.

32) Liv. 25, 3.

multitudinem suffragiorum vis fuit. Successerunt deinde leges Valeria Horatia 33) et Hortensia, 34) quibus cautum est, ut, quod tributim plebes iussisset, populum teneret, adeoque plebiscita eandem, quam centuriatorum comitiorum leges, vim et auctoritatem haberent. Ius etiam acceperunt ista comitia, si ad ea provocatum esset, iudicandi et decernendi, praeter crimen perduellionis.

§. 7.

In via erant Plebeii, ut summa omnia cum Patriciis communia haberent, neque dabatur regressus. Supererat, ut praeter libertatem etiam honores aequarentur, neque ad eos adipiscendos minus idonei esse, et genere, censu, suffragiorum vi inferiores viderentur. Primum illud assecuti sunt Tribuni, non ita multo post XII. Tabulas promulgatas rogatione Canuleia de connubio Patrum et plebis, et ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de Patribus vellet, Consules faciendi a. U. 309. De connubio Patres victi cesserunt; altera pars legis de communicando cum plebe consulatu ita elusa est, ut comitia tribunis consulari potestate tribus, promiscue ex patribus ac plebe creandis indicerent; de consulibus creandis nihil mutaretur. 35) Hoc artificio per LXX fere annos tribuni consulares spatiis indefinitis et consules sibi per vices successerunt.

§. 8.

Ab eodem anno (a. U. 210.), quo Tribuni consulares esse coeperunt, *Ordinis equestris* inter senatorium et plebeium medii, origo ducenda est. Nam quum inde a L. Iunio Bruto, primo consule, senatores ex equitum centuriis legerentur, ad quas, quia census maxime ei

33) a. U. 305. Liv. 3, 55.
34) a. U. 468. Liv. 11, 27. Freinsh.
35) Liv. 4, 1 — 6.

mores spectabantur, plebi etiam patebat aditus, per easdem etiam via in senatum ferebat, unde ordo equester seminarium senatus appellatur.[36] Utrumque autem magis in consuetudinem venit, postquam Censorum arbitrio lectio et equitum et senatorum commissa est et equites propter divitias publicani fieri coeperunt.

§. 9.

Adversus calamitatem imminentem Consulari potestati, quae bellis externis et rebus urbanis iam impar esset, pars curarum demenda videbatur pluresque patricii magistratus instituti sunt, quorum opibus et plebs in potestate senatus esset, et senatorio ordini ius maiestasque adiiceretur. Censores creati sunt primum censui agendo singulis lustris, postea autem eorum potestas ita aucta est, ut cives omnium ordinum eorum notae subiicerentur et publicorum ius privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub eorum nutu atque arbitrio essent.[37] A. U. 388, quum concessum esset a Patriciis plebi de consule plebeio, auctore magno Camillo primus Praetor ex Patribus creatus est, qui ius in urbe diceret, et recusantibus ludos maximos aedilibus plebeiis, duo Aediles curules, iidem patricii; de quibus tamen, quum pro consule uno plebeio tres patricios magistratus creari tribuni non paterentur, ut alternis annis ex plebe fierent, convenit; postea promiscuum fuit.[38] Sed iam nihil iam difficile visum est tribunis, quod non expugnari posset. Legibus Liciniis a. U. 379. latis, una pro duumviris sacrorum Decemviri creati sunt, quinque Patrum, quinque plebis,[39] graduque eo iam via facta ad consulatum videbatur; al-

36) Liv. 42, 61.
37) a. U. 311. Liv. 4, 8. et Stroth h. l. Cic. Leg. 3, 3. Niebuhr R. G. II. p. 446. sqq.
38) Liv. 6, 42. 7, 1. De consulum, praetorum, censorum auspiciis, sese invicem non turbantibus Gell. 13, 15.
39) a. U. 387. Liv. 6, 35. 42.

tera perlata, ut consulum utique alter ex plebe crearetur, primus de plebe consul L. Sextius factus a. U. 387.[40] Legis Publiliae a. U. 415. ut alter ex plebe censor crearetur, auctor Q. Publilius Philo biennio post primus de plebe praetor fuit;[41] C. Marcius Rutilus primus de plebe Censor a. U. 403.[42] idemque Dictator iam ante dictus fuerat, a. U. 398,[43] atque ex ea aetate si qui primus suae gentis magistratum curulem gessisset plebeius, *novus* homo appellabatur et ab eo ad eius progeniem *nobilitas* hereditate transibat. Iam quum plebeiorum honoribus nihil praeter sacerdotia, quae nondum promiscua erant, deesset, lege Ogulnia a. U. 454, ut quum quatuor augures, quatuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes, adlegerentur. Ita octo pontificum, novem augurum numerus factus.[44]

§. 10.

Hac plebeiorum victoria oppressi Patricii de suo iure remiserunt, quod diutius retineri non posse prudentes intelligerent, veterumque Comitiorum ratio mutata et ad nova haec tempora magis accommodata est. Senserunt iam post Coriolani iudicium,[45] quam multum de sua dignitate detractum esset et quantum incrementum tribus cepissent; et aucta erat amplius tributorum comitiorum potentia. Itaque arte quadam instituerunt, ut Comitia centuriata speciem tributorum referrent, re vera nobilitas in iis dominaretur. Id iam a. U. 358. factum traditur;[46] in usu esse coepit, postquam a. U. fere 510. quinque et

40) Liv. 7, 1. Goettlingii Comm. de loco M. Ter. Varronis de re rust. 1., 2. Jenae. 1831.
41) Liv. 8, 12. 15.
42) Liv. 7, 22.
43) Liv. 7, 17. 10, 8. a med.
44) Liv. 10, 6. 9.
45) a. U. 263. Dionys. 7, 65.
46) Liv. 5, 18. cf. Duk. ad h. l. et Liv. 6, 21. 10, 22.

triginta tribus factae sunt, qui numerus mansit.[47] Aetatis autem et Census ita ratio habita est, ut singulae Tribus in Seniores et Iuniores, utrique secundum Classes in Centurias quinas dividerentur et prima Classis Seniorum Senatores, prima Iuniorum Equites contineret, ideoque universae quinque et triginta Tribus trecentis quinquaginta Centuriis constarent,[48] v. c.

Tribus Pollia. Liv. 8, 37.

	Seniorum		Iuniorum
5 Centuriae	Class. I. (Senatores)	5 Centuriae	Class. I. (Equites)
	Cl. II.		Cl. II.
	— III.		— III.
	— IV.		— IV.
	— V.		— V.

10 Centuriae tribus Polliae.

Sorte ducebatur praerogativa Tribus, quae si Iuniorum esset, iure (i. e. legitimo ordine) vocatae quinque Centuriae quod decrevissent, renuntiabatur, eamque auctoritatem fere omnes Centuriae sequi solebant, ut prae-

47) Cic. Agr. 2, 7. Bello sociali quidem ex novis civibus Italicis decem aut octo tribus fecerant, quae post veteres tribus suffragia ferrent; Appian. B. C. 1, 49. sed quum illi id aegre ferrent, Cinna in veteribus tribubus eos distribuit. Vellei. 2, 20.

48) Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, *duplicato earum numero,* centuriis *iuniorum seniorumque*, ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. Liv. 1, 43. Hunc locum Zachariae in Sulla II. p. 69. et 73. ita explicavit: Quinque et triginta Tribus duplicem numerum Centuriarum explevisse, ut singulae binas Centurias continerent; Tribus deinde ipsas in quinque Classes ex censu fuisse divisas, et prima Classis opulentissimas gentes et collegia, quinta tribus urbanas complecteretur. Sed haec ratio veteri testimonio prorsus caret, neque verisimile est, casum praerogativae a principibus populi etiam infimae classi relictum esse. Difficiliores explicationes dederunt Drakenb. ad Liv. 1, 43. Ernesti Clav. v. Tribus; Niebuhr R. G. III. p. 394. sqq. „Extrema tribus suffragiorum" Cic. Agr. 2, 2.

rogativa omen iustorum Comitiorum haberetur;[49] suffragiis deinde Seniorum totius Tribus sententia conficiebatur. Deinceps reliquae tribus ordine citabantur ad suffragia ferenda[50] primum voce, quam rogator in tabella puncto significabat, lege deinde Gabinia a. U. 615. et Cassia per tabellam.[51] Uno in genere relinquebatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis, donec huic quoque iudicio C. Coelius tabellam dedit a. U. 647, ad quem usque annum etiam in eo iudicio mos ille, ut populus in procinctu staret et ex Servii regis instituto suffragia ferret, servatus esse videtur.[52]

Nova haec Centuriarum ratio, quum in singulis tribubus homines tam diversi genere, censu, conditione essent permixti, neque tabulae censoriae propter crebras

---

49) Cic. Div. 1, 45. 2, 40. Mur. 18. extr. Planc. 20. Liv. 10, 15. 22. Pseudo-Ascon. in Cic. Verr. 1, 9, 26. ap. Orell. p. 139.

50) Cic. Agr. 2, 29. et Intpp. h. l. ap. Garaton. „Praerogativa (Aniensis Iuniorum) suffragium init, creatique in ea Consules Q. Fabius IV. M. Marcellus III. Eosdem consules ceterae centuriae sine variatione ulla dixerunt.“ Liv. 24, 7 — 9. 26, 22. 27, 6. Totum negotium fere quinque horis absolvebatur, neque in posterum diem extendi licebat cf. Cic. Fam. 7, 30. Si enim una plures Centuriae, i. e. sex unius Tribus consensissent, rogator non amplius rogabat. cf. Cic. Agr. 2, 7. init. Liv. 5, 31. ad fin.

51) Hinc locutio: Omnium puncta tulit. De lege Gabinia qua tabellae iubebantur, ut cives libere suffragia, sine inimicitiarum metu, ferre possent, et ne quis inspiceret tabellam, ne rogaret, neve appellaret. cf. Freinsh. Suppl. Liv. 54, 31. Ernesti Clav. v. Tabellariae leges. Pighii Annal. II. p. 489. Alia lege, Cassia a. U. 617. qua diribitores iussi sunt tabellas distribuere, rogatorum fraudi occurrebatur cf. Ernesti l. c. Pighii Annal. II. p. 496.

52) De lege Coelia cf. Cic. Leg. 3, 16. Freinsh. Suppl. Liv. 65, 58. A. U. 588. C. Claudium censorem, perduellionis reum, ex XII. centuriis equitum octo, multaeque aliae primae classis condemnant. Liv. 43, 16. Servianum tamen institutum adhuc Ciceronis aetate servatum ostendit Cic. Phil. 2, 33. Classicorum etiam mentio fit in lege Voconia a. U. 585. cf. Gell. 7, 13. Baechii hist. iurispr. Rom. II, 2, 40. p. 152.

tribulium migrationes et quia Censura ipsa iam a. U. 320. e quinquennali annua ac semestris facta erat,[53] constare poterant, Censores impulit, ut tribuum descriptionem certiorem et stabiliorem redderent. Igitur non solum morem vetustum observarunt, ne quis tribum suam relinqueret, nisi id ante Censori indicasset; verum etiam Q. Fabius Censor a. U. 450. comitiorum causa omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus urbanas, ut humiliores, coniecit;[54] in easdem deinde L. Aemilius Papus, C. Flaminius Censores a. U. 534. libertinorum multitudinem redegerant, quum antea dispersi per omnes fuissent et populi suffragia turbassent,[55] eorundemque opera demum perfectum videtur, ut Comitia centuriata secundum Tribus, quorum inde ab a. U. 540.[56] crebra fit mentio, in consuetudinem venirent.

Ita aequato utrorumque Comitiorum iure et suffragio, ambo simul in civitate bene ordinata diutius stare non posse videbantur, quum praesertim centuriata et summorum magistratuum auspiciis et loco augurato et praerogativa potiores essent, tributa praeter spectionem ceteris carerent. Sed in illis classis infima plerumque ad suffragia non admittebatur;[57] in tributis contra tribuni plebis referebant et, quum Tribus totae sorte citarentur, multitudinis suffragia magnam sane vim habebant ad rem perferendam. Eam vim M. Aemilius Lepidus et M. Fulvius Nobilior Censores a. U. 575. ita temperaverunt, ut tribus ex ordinibus et generibus, artificiis et quaestibus describerent, ut homines unius ordinis et generis, unius causae et quaestus in unum corpus seu collegium coacti, simul

---

53) Lege Aemilia Liv. 4, 24.
54) Liv. 9, 46. cf. Dionys. 4, 15. Plin. H. N. 18, 3.
55) Biennio ante bellum Punicum secundum. Liv. Epit. 20. 45, 15.
56) Liv. 24, 7.
57) Equitum centuriae Comitiis eventum dare poterant, cf. Cic. Fam. 8, 4. ab init. 11, 16. ad fin.

ferrent suffragium.[58] Quot opificum collegia tum fuerint, non constat. Numa rex octo constituerat: Tibicinum, aurificum, fabrum lignariorum, tinctorum, sutorum, coriariorum, fabrum aerariorum, figulorum;[59] temporibus rei publicae auctus est eorum numerus.

Comitia curiata, in quibus gentes Patriciae olim a rege, deinde ab uno consule ex auctoritate senatus vocatae auspicato suffragium inibant,[60] imminuta Patrum dignitate, inde ab a. U. 534. eo redacta sunt, ut eorum speciem triginta Lictores a Senatu missi referrent.[61] Lege curiata, sine qua rem militarem attingere non licebat, imperium magistratibus deferebatur,[62] neque id iam amplius recusari poterat; Flamines deinde creabantur et Curio maximus, quod tamen sacerdotium etiam a. U. 545. primum homo plebeius obtinuit;[63] rogabanturque denique arrogationes, testamenta, detestationes sacrorum. Ad haec omnia suffragio non amplius erat opus.

§. 11.

Hanc victoriam plebi maxime Tribuni acquisiverant sui, viri ut aetatis robore, ingenio, facundia insignes, ita ad depugnandum et ad perferendas leges suas acerrimi. Parva quidem initio eorum erat potestas, quippe quibus

---

58) Mutarunt (Censores) suffragia: regionatimque generibus hominum, causisque et quaestibus, tribus descripserunt. Liv. 40, 51. extr. cf. Sigonius de ant. Iure Civium Rom. II, 12, p. 342. Coll. mercatorum commemorat Liv. 2, 27.

59) Plutarch. Numa 17. cf. Plin. H. N. 34, l. 35, 12. De iis cf. Manut. ad Cic. Sext. 15. Orellius in Inscriptionum Collectione T. II. p. 244. sq. qui eorum catalogum in Indice dedit. p. 515. sq.

60) Dionys. 9, 41.

61) Cic. Agr. 2, 12. Ernesti Clav. v. Curiata lex.

62) Liv. 5, 46. 52. 9, 38. Cic. Phil. 5, 16. Fam. 1, 9, 25. Orell.

63) Liv. 27, 8.

ne magistratus quidem nomen Patres concederent;[64] at postquam a. U. 297. sexto et tricesimo a primis tribunis plebis, e quinis decem facti sunt,[65] quo aliquando esset evasura, iam Laetorii et Voleronis ferocia ostenderat.[66] Saepe populum per praeconem convocabant, ut pro concione verba facerent, et lege Icilia cautum erat, ne quis dicentem tribunum interpellaret;[67] saepe etiam in concionem aliquem producebant, qui de re publica diceret.[68]

In Senatum vero ut semper venire possent, quum ab initio ante Curiam sedissent nec nisi vocati a Consulibus introirent, non multo post abrogatos Decemviros restitutamque tribuniciam potestatem consecuti sunt[69] et statim post a. U. 298. Senatum etiam vocare coeperunt.[70] Communicatis deinde cum plebe summis magistratibus in consuetudinem venit, ut, qui proximo quinquennio tribuni plebis fuissent, in Senatum reciperentur;[71] denique lege Atinia a. U. 624. cautum, ut Tribuni plebis senatores essent, iusque dicendae sententiae haberent;[72] ut adeo quum populum actionibus suis, quocunque vellent, impellere possent, in Senatu quoque, referendo, intercedendoque non minus valerent, essetque propemodum tribunicia potestas totius rei publicae summa.

§. 12.

Has inter contentiones domesticas arma Romanorum non quieverant, totaque fere Italia ab Alpibus usque ad

64) Liv. 2, 56. at postea magistratus appellantur. Liv. 4, 2. Sall. Jug. 37. Creabantur comitiis tributis, Dionys. 6, 89. cf. 6, 90. 10, 4. Liv. 2, 58. et lege vetitum erat, ne cui Patrum capere eum magistratum liceret.

65) Liv. 3, 30. 66) Liv. 2, 56.

67) Dionys. 7, 17. Cic. Sext. 37.

68) *Rubino* Comment. de tribunicia potestate. Cassellis 1825. 8. pag. 33. sqq.

69) Val. Max. 2, 2, 7. Duk. ad Liv. 3, 69, 5.

70) Dionys. 10, 31. Gell. 14, 7.

71) A. U. 536. primum Tribuni plebis in Senatum lecti commemorantur. Liv. 23, 23.

72) Gell. 14, 8. Bachii Hist. Jurispr. Rom. II, 2, §. 51. Rubino pag. 43. sqq.

fretum Siculum perdomita, ad exteras gentes conversa sunt. Adhuc vigebat in civitate Romana morum integritas, summa frugalitas, sincera et incorrupta fides: quid sperari poterat ab eo populo, qui circumscripta adhuc libertate tam fortiter pro patria pugnasset, tam patienter obsequium magistratibus suis domi bellique praestitisset, suaque commoda et vitam saluti publicae postposuisset, tanta denique cum modestia victoriam de nobilitate ferret; si, aequato nunc civium iure concordiaque restituta, temperata optimis legibus re publica,[73] non solum pro tanto imperio, sed pro ipsis aris et focis esset dimicaturus? Itaque factum est, quum iam non de iure esset, sed de virtute, de laude et honestate, de imperii potentia et magnitudine certamen, ut subactis deinceps barbaris gentibus, deleta Carthagine imperii aemula, excisa Corintho, profligato magno illo Antiocho, victo Perseo Macedone, omnes terrae atque insulae a Baeti agroque Carthaginiensi usque ad Taurum in ditionem potestatemque populi Romani venirent. Merito igitur scriptores illius saeculi felicitatem praedicant et Fabium Cunctatorem illum, Aemilium Paulum, Laelium, Scipiones, et virtutibus et rebus gestis illustria nomina, tamquam exempla posteris commendant.

§. 13.

Sed in hac ipsa felicitate res publica malo laborabat, quod serius ocius erat erupturum. Agri Romani pars antiquitus erat privata sive iure mancipii sive praemio data eaque censebatur; alia publica i. e. populi Romani, limitationis lege cultoribus in usum ita assignata, ut inde fructus plerumque decimae ad aerarium redirent, eaque

73) Formam rei publicae Romanae illius aetatis accurate descriptam laudat Polybius 6, 11. sqq.

locabatur a censoribus.[74] Pari modo populi alicuius bello victi ager totus fiebat populi Romani, qui, quantum erat culti, plerumque tertiam partem limitatam colonis dividebant, aut vendebant, elocabantve; quod incultum supererat, ut fere bellum sequi solet vastitas, quia sub sortem mittere non vacabat, per praeconem invitatis assignabant quibuscunque liberet colere, excepta sibi vectigalis nomine in singulos annos ex arbustis proventus parte quinta, frugum decima et ex gregibus quantum placuisset. Patricii autem sicuti statim post reges exactos agrum regium invaserant, ita postea privati maximam partem a veteribus dominis emtione aut vi acquisitam tenebant, publicum quasi iure usucapionis, ut quisque occupaverat, et urbanum et victis Italicis ademtum, summa iniuria possidebant. Neque enim inde aliquid ad aerarium redibat, quo pauperiorum civium tributa levarentur, et illis agri non ingenuorum opera mercenaria, sed a servitiis coemtis colebantur, tum quia liberi homines ab agricultura stipendiis militaribus saepe avocabantur, servis in opere manentibus; tum quia ex familia, ancillarum partu aucta, lucrum ad heros redibat.[75] Itaque plebeii, tributis exhausti, per militiam agellos suos negligere, deinde vendere coacti, per otium omni quaestu exclusi, partim creditoribus suis addicti erant, partim inopes et egeni querelis et clamoribus forum implebant. Lex agraria Sp. Cassio,[76] largitiones Sp. Maelio,[77] M. Manlio[78] a Patribus, periculo possessionum suarum ter-

74) Possessio est, ut definit Galius Aelius, usus quidam agri aut aedificii, non ipse fundus aut ager. Festus. Ager est, si species fundi ad usum hominis comparatur. Possessio ab agro iuris proprietate distat: quidquid enim adprehendimus, cuius proprietas ad nos non pertinet, aut nec potest pertinere, hoc possessionem appellamus. Possessio ergo usus, ager proprietas loci est. Iavolenus in Digg. L, 16, 115. cf. Niebuhr. R. G. II. p. 146. sqq. 153. sqq.

75) Appian. B. C. 1, 7.

76) a. U. 268. Liv. 2, 41.

77) a. U. 314. Liv. 4, 13. 14.

78) a. U. 371. Liv. 6, 11 — 20.

ritis, perniciem attulerant; quum ortis denuo ob aes alienum seditionibus C. Licinius et L. Sextius, tr. pl.[79] praeter illam de consulatu, cuius supra mentionem fecimus, leges promulgaverunt adversus opes Patriciorum et pro commodis plebis, unam de aere alieno, ut, deducto eo de capite, quod usuris[80] pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio aequis portionibus persolveretur: alteram de modo agrorum, ne quis plus quinquaginta ingera agri (sc. publici) possideret.[81] De altero consule plebeio concessum, de levando aere alieno et de reddendo agro publico spes elusa est; causam exceperunt Gracchi.

§. 14.

Italiam a Rubicone flumine et Galliae Cisalpinae finibus ad fretum usque Siculum populus Romanus ita sub imperio tenebat, ut incolae omnes sociorum nomine, diversis foederum legibus, civitate plus minusve circumscripta et imminuta, praeter vectigalia annua, quotiescunque senatui populoque Romano placuisset, tributa et milites, alia etiam ad bellum necessaria imperaret. Foedera enim alia aliis aequiora pro meritis eorum, et senatus populique Romani liberalitate erant concessa. Legionibus Romanis ex sociorum multitudine peditum quidem par ut plurimum, nonnunquam alterum tantum adiiciebatur, equitum vero triplum.[82] Ceterum omnis agri Itali-

79) a. U. 379 — 386. Liv. 6, 31 — 36.

80) sc. iniquis et fenus unciarum, quod erat legitimum, excedentibus. cf. supra Not. 77.

81) Appiano B. C. 1, 8. teste additum legi, ne quis posceret plus centum capitibus maioris, plusve quingentis minoris pecoris; et assignatum certum ingenuorum numerum, qui praeessent operi rustico et frugum custodiae. Eam legem iureiurando sacratam esse multamque decretam in eos, qui contra fecissent.

82) Polyb. 6, 26. Liv. 8, 8. cf. Sigonius de antiquo iure Italiae 1, 4. pag. 494. sqq. Bello sociali s. Italico civitatem petentes socii queruntur: „Per omnes annos atque omnia bella duplici se numero militum equitumque fungi.“ Vellei. 2, 15.

ci dominus erat populus Romanus, indeque publicus tertia fere pars agri alicnius oppidi veteribus incolis ademta, colonis e plebe Romana lectis assignabatur. His coloniis urbana multitudo exhauriebatur, victi autem in officio continebantur et adversus hostium incursiones erat praesidium.[83] Italia etsi in quatuor provincias quaestorias divisa vectigalium curandorum causa,[84] tamen ipsa nunquam in provinciae formulam redacta fuit; vectigalis facta est illa quidem, sed tamen in universum libertate donata. Iniquiores leges terris extra Italiam expugnatis, quarum prima fuit Sicilia insula, pro diversitate formulae foederis impositae sunt, ut non solum vectigales essent, sed etiam populi Romani magistratibus parerent. Is, cuius auspiciis terra in ditionem populi Romani venerat, eam ex senatus consulto in provinciae formulam redigebat, deinde quotannis eo missi Praetor cum imperio, qui ius diceret, et Quaestor, qui vectigalia administraret. Hoc consilio Praetorum numerus auctus est. Post a. U. 600. institutum est, ut qui Consules, quique Praetores fuissent, exacto magistratu in urbe, provincias Pro Consule vel Pro Praetore administrandas vel compararent vel sortirentur.[85] Hi praeter Quaestorem et comitatum suum etiam Legatos sibi adsciscere poterant, quibus in bello aliisque rebus administrandis uterentur.

§. 15.

Asia cis Taurum, Macedonia, Illyricum, Epirus, Africa propria, Graecia deinceps in provinciarum formulas redactae erant, et ex tantis victoriis non solum immensa pecunia in aerarium fuerat illata et tanta ex provinciis quotannis redibat, ut, perdomita Macedonia, civi-

---

83) Sigonius A. J. J. II, 2. p. 624. sqq.

84) Bachii Hist. Jurispr. Rom. II, 1, §. 39.

85) Bachius l. c. §. 37. Sigonius de ant. iure Provinc. II, 1. p. 123. sqq.

bus Romanis tributum in perpetuum remitteretur,[86] verum etiam victores larga cum pecunia et praeda pretiosissima in patriam redierant; qui autem provincias administrabant, quamvis administratio esset gratuita et ne munera quidem accipere magistratibus liceret, tamen adeo provinciales vexare coeperunt,[87] ut a. U. 605. lege Calpurnia Quaestiones perpetuae de repetundis instituerentur.

Fuerunt, qui civitatem liberam, si intra fines imperii sui se non contineat, diutius stare posse negarent, huiusque rationis auctores citare possunt Minoem et Lycurgum, Octavianum etiam Augustum ipsum, qui Rhenum, Istrum et Euphratem terminos imperii Romani constituerat.[88] Sed exempla in utramque partem proferre possumus; namque Lacedaemonii quoque Romanorum armis cesserunt, et Hollandia olim docuit concordia res parvas crescere solere. Divitias deinde, aiunt, et opulentiam rei publicae interitum afferre: at profecto pecunia non egebat ea civitas, quae septem et nonaginta centurias civium, centenis assium millibus aestimatorum in tabulis censoriis consignatas habebat, quae tanta tamque diuturna bella pene sola toleraret; aut illa aetate, quum pro se quisque aurum, argentum et aes in publicum conferebat tanto certamine, ut nec triumviri accipiundo nec scribae referundo sufficerent,[89] quumque aurum a sociis oblatum non reciperet.[90] Ex moribus et legibus formam rei publicae vel probari vel non probari, iisdemque po-

---

86) Philippus Macedo pacem emere coactus est mille talentis Polyb. Legat. 9. Aetoli D. talentis. Ibid. 28. Antiochus Magnus XV. millibus talentorum Liv. 37, 45. Quadringenties centena talerorum millia nostrae pecuniae computantur ex vectigalibus provinciarum, quae quotannis ad aerarium publicum redierint. cf. Nitzsch Beschreibung des häuslichen etc. Zustandes der Römer. Vol. 1, p. 316. Erf. 1794.

87) Tac. 1, 2. extr.

88) Lipsius ad Tac. 1, 11. extr.

89) Liv. 26, 36.

90) Liv. 22, 32. 36. 30, 21.

puli salutem contineri, iam olim intellectum est.91) Pecunia operose et cum sudore quaesita vires excitat et ad parsimoniam impellit; promta et a fortuna oblata ad luxuriam pellicit et aliorum invidiam movet. Itaque quum iam post expugnatas Syracusas primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque sacra profanaque omnia vulgo spoliandi factum esset, luxuriae etiam peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est.92) Luxuria et magnificentia deorum negligentiam, largitionem, avaritiam, superbiam, crudelitatem pepererunt; nobiles larga hostium praeda aut fenore supra modum locupletati coemere latifundia, exstruere villas, spoliis Graecis refertas, delectari pretiosissima supellectili, mensarumque apparatu, totos servorum exercitus coemere, eo cupidius spoliare provincias, quum potestas anni tempore esset inclusa, unde peculatus publici et quaestiones de repetundis:93) penes eos erat arbitrium belli pacisque, in eorum manibus aerarium, provinciae, magistratus, iudicia, honorum praemia et triumphi; novi homines, qui antea per virtutem soliti essent nobilitatem antevenire, iam oppressi ab illis, furtim et per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia et honores nitebantur; plebs atque infima multitudo, quum divites in familia opifices omnis generis alerent, in otium conversa, socordia atque desidia tempus terere, totum diem in foro versari, vitam sustentare nobilium ambitione et corruptela, suffragiorum praemiis, et in dies crescens numero pecunia ad pessima flagitia facile incitabatur, potentiumque cupiditatibus inserviebat; unde illud Iugurthae, Roma egredientis, Urbem venalem et mature perituram, si emtorem invenerit.94)

§. 16.

In duas igitur partes omnia iam abstracta sunt; nobilitas factione magis pollebat, plebis vis soluta atque

91) Polyb. 6, 47. 92) Liv. 25, 40. 39, 6.

93) cf. Sigon. Ant. J. Prov. II, 12. pag. 252. de Iudic. II, 27. pag. 601. sqq. 28. pag. 623. sqq.

94) Sall. C. 10. J. 4. 41. 63. extr. et 35. extr.

dispersa in multitudine minus poterat.[95] Medius inter nobiles et plebem Ordo erat equester, qui, ex quo provinciae extra Italiam in ditionem ac potestatem populi Romani venerant et divites plebeii, ob censum in equitum centurias legi illi quidem, sed militia immunes esse paulatim coeperant, quum rei publicae operam non darent, nisi si forte senatores fierent, idoneus maxime visus est, cui provinciarum vectigalia locarentur. Itaque plerumque Equites societates inibant de emendis vectigalibus, ut collatis opibus sufficerent immensae administrationi.[96] Isti Publicani, uti vocabantur, provinciarum praefectis difficultatem saepe magnam afferebant: quibus si adversarentur, ordinem a nobilitate diiungebant, sin autem omnibus in rebus obsequerentur, periculum erat, ne funditus provinciales perirent, quorum saluti et commodis ipsi consulere debebant. Hic igitur ita versari, ut et publicanis satisfieret, praesertim publicis male redemtis, et socii non perirent, non mediocris erat virtutis.[97] Maxime autem dignitatis et auctoritatis in re publica Romana erant, ita ut, qui aliquid efficere in re publica vellet, imprimis curaret, ut sibi adiungeret publicanos.[98] Non ita aequos nobilitati et placabiles eos fuisse temporibus Gracchanis et postea, quum magistratus ita socios expilarent, ut illi neque vectigalia, neque creditam et in fenore collocatam pecuniam expedire possent, eventu cognitum est.

§. 17.

Lex Licinia agraria adeo in contemtum venerat, ut, auctis per Italiam Romanorum latifundiis, Italis, qui prae-

95) Sall. J. 41. med.

96) Burmann. de Vectigalibus pop. Rom. p. 126. sqq.

97) Cic. Q. Fratr. I, 1, 11. Burmann l. c. p. 137. De Publicanorum fraude cf. Liv. 25, 3. 4.

98) Hinc Cicero sibi de benevolentia et amore gratulatur, qua ipsum Publicani amplectebantur. cf. Cic. Att. 6, 2, 5. 6, 3, 3. Fam. 13, 65. eorumque amicos, et ipsos Proconsulibus et Propraetoribus commendat. Ibid. 13, 6. 9. 38. 43. 51.

ter inopiam domesticam tributis etiam et delectibus atterebantur, iam paucitate sui generis laborantibus, non obscurum esset, quanto rei publicae periculo sociorum quotidie copia minor fieret, servorum, quorum fides tam suspecta esset, frequentia augeretur. Ea maxime cura motus et de sententia principum civitatis, in quibus P. Mucius Scaevola, tum consul,[99] Tiber. Sempronius Gracchus a. U. 621. legem illam iterum tulit, auctam in solatium possidentium: Ne quis ex agro publico plus quam quingenta iugera possideret: possessores, qui filios in potestate haberent, supra legitimum modum ducena quinquagena iugera in singulos retinerent; et ut triumviri annui crearentur, qui, quod superesset agrorum, id pauperibus dividerent, iidemque iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset.[100] Hac lege summo plebis studio, non minore dolore locupletium, qui summa vi resistebant, perlata, tres viri, in quibus ipse legislator, tributis comitiis[101] creati sunt. Sed quum legis exsequendae causa alterum tribunatum peteret, die Comitiorum in Capitolio cum trecentis suorum ab adversariis, duce P. Scipione Nasica, Pontifice maximo, trucidatus est.[102] Ceterum agrorum divisionem ipsi Itali aegre ferebant, quam sine summa iniuria perfici non posse intelligerent, quum nova limitatione facta, aliis finibus constitutis per Italiam iura possessorum confunderentur.[103] Causam legis agrariae plebisque suscepit decem annis post (a. U. 631.) Caius frater, tr. pl. multo vehementior ille, qui initio statim huius favorem sibi conciliaverat lege lata de frumento menstruo plebi viritim dividendo ex publico,[104] quod

99) Plutarch. Tib. Gracch. cp. 8. 9.

100) Liv. Epit. 58. Appian. B. C. 1, 9. sqq.

101) Intercedente Octavio tr. pl., cui, cum duodeviginti tribus legem ratam fecissent, magistratus abrogatus est. Appian. l. c. 1, 12. Ita primum tribuniciae potestati vis illata videbatur.

102) Appian. B. C. 1, 16. Vellei. 2, 2. 3. Sigon. de antiquo iure Civ. Rom. I, 16. p. 206. Pighii Ann. Tom. III. p. 5.

103) Appian. l. c. 1, 18. 19.

104) Appian. 1, 21. Liv. Epit. 60. cf. Pighii Ann. Tom. III. p. 50.

nunquam ante factum fuerat, de agris quotannis populo dividendis, et de viis per Italiam muniendis, quo beneficio multitudinem operariorum manibus victum quaerentium sibi devinciret, quamobrem ei tribunatus in sequentem quoque annum continuatus est. Sed quum agrorum divisio haereret et possessores tergiversarentur, alia via plebis commodis consultum ivit legibus promulgatis a. U. 632., primum iudiciaria, ut a Senatu iudicia, penes quem a regum tempore fuerant, ad Equites transferrentur; deinde de provinciis ornandis, ut quotannis a Senatu constituerentur ante comitia vel prorogandae vel designandis magistratibus in sortem mittendae; tum ut ex confusis quinque classibus sorte centuriae vocarentur; itaque quum antea primo rogata tribus in suffragium mitteretur, sequerentur deinde iure vocatae, nunc tertia etiam fiebat sortitio; postremo de suffragiis socium Latini nominis, ut his aeque ac civibus Romanis ius Romae suffragii ferundi esset.[105] Has leges pene omnes, quamquam summa vi resistente Senatu, pertulit praeter illam de civitate sociorum latam, cuius causa quum tribunatum tertium per vim peteret, summa vi resistente Senatu, resque ad seditionem et caedem venisset, Caius profugiens, ne in manus inimicorum veniret, cervices servo praebuit; Opimius Consul, qui Senatores ad caedem duxisset, occisis tribus civium millibus, Concordiae fanum ex Senatusconsulto dedicavit.[106]

Primam legem propterea latam tradunt, quod iis Senatus apertissima fraude in favorem optimatium, Aurelii Cottae, Salinatoris, et M'. Aquillii indignum se fecisset; sed quum auctor praevidere posset, equites et ipsos in eodem crimine deprehensum iri, id potius spectasse videtur Caius, ut et apud Ordinem equestrem gratiam iniret, et severiores essent iudices in lege Calpurnia exercenda, et iniquiores senatoribus, id quod evenit, si quem

105) cf. Pighii Ann. T. III. p. 59. sqq. Bachii hist. Jurispr. Rom. II, 2, §. 53. 54. Ernesti Clav. v. Semproniae leges.
106) Appian. I, 26. Vellei. 2, 6. Sall. J. 42.

constaret, aut in Senatu, aut in magistratu provinciali publicanorum avaritiae non satis indulsisse;[107] certe Senatui hac lege magna pars auctoritatis ademta est; altera cavebatur, ne magistratus provinciales, prorogato imperio, nimiam potentiam acquirerent; tertia quum sors etiam centuriis classis infimae praerogativam ferre posset, et quarta, quam Caio amici suaserant, quod socios tum agrariam aequius laturos censerent,[108] manifesto comitiorum eventum suffragiis multitudinis tradebant. Ea quorsum essent evasura, Caius sane videbat; nempe res publica Romana sicut erat, si omnes Italici civitatem Romanam cum iure suffragii nanciscerentur, diutius stare non poterat et in aliam formam fingi necesse erat; itaque viribus suis diffisus rem invitus aggressus esse dicitur. Ceterum lex agraria Gracchorum a. U. 646. lege Thoria antiquata est.[109]

§. 18.

Nondum motus et caedes et exsilia in urbe desierant, quum socii Italici, lege Sempronia ad spem civitatis erecti, quam, quia suis manibus victoriae Romanorum erant partae, iure suo et praemii loco postulare sibi videbantur, a comitiis urbanis prohibiti[110] querelas suas ad M. Livium Drusum, tr. pl. virum acrem et vehementem deferunt, qui a. U. 663. iis legem de civitate danda se laturum promisit, quo promtius legem suam iudiciariam comitiis tributis adiuvarent, ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent et ex senatoribus, qui etiam tum erant trecenti, totidemque equitibus iudices legerentur; si quis pecuniam iudicandi causa accepisse diceretur, de ea re quaestio esset. Sed lex utrumque ordinem, quia neuter alteri cedere volebat, adversarium

107) Appian. I, 22.
108) Appian. I, 21.
109) Appian. I, 27. Ernesti Clav. v. Thoria Lex.
110) Lege Papia, cf. Intpp. ad Cic. Balb. 23. et Licinia Mucia a. U. 659. Pighii Ann. T. III. p. 196. Bachii hist. II, 2, §. 67.

habuit, auctorque structis a nobilitate insidiis domi suae occisus est; leges autem senatus, ut contra auspicia latas, mox abrogavit.[111] Ceterum quanta tum tribuni plebis fuerit potentia, et Caius Gracchus ostendit, cui in senatu sententiam dicendi potestas concessa est,[112] et iste Drusus, qui aliquando L. Philippum consulem, quod agentem se cum populo interfari ausus esset, ne viatore quidem, sed aliquo ex clientibus misso in carcerem rapuerit, senatumque obedientem habuerit.[113] Socii autem patronis suis aliis occisis, aliis in exsilium actis, desperantes ius aequum voluntate Romanorum obtineri posse, ad defectionem et arma spectare coeperunt.[114] Clam facta coniuratione Corfinii, capite imperii Italici et sede consilii quingentorum Senatorum cum duobus consulibus, duodecim Praetoribus, socii omnes finitimi a Marsis atque Pelignis et quidquid populorum a Liri usque ad intimum Adriaticum sinum occurrit, legatos Romam mittunt querentes de civitate sibi per iniuriam negata.[115] Senatus ferociter respondit: Ubi poenitentiam suam socii probussent, posse iterum legatos mittere; alias mittendi veniam non fore. Tum vero exercitus maximi conscribuntur, ducesque cum imperio ad castra pergunt. Toto biennio (a. U. 664. 665.) varia fortuna certatur, donec senatus, veritus ne circumquaque ab hostibus cingeretur, iam libertinis propter inopiam virorum ad militiam admissis, primum sociis, qui adhuc in fide manerent, civitatem decrevit, atque Etruscis, deinde caeso Silone Popaedio, sociorum praetore, reliquis Italicis, quamquam his quidem deteriore civitatis iure. Novi cives in octo tribus

111) Appian. I, 35. 36. Pighii Ann. III. p. 218. sq. Freinsh. Suppl. Liv. 71. Vellei. 2, 13. Sueton. Tib. 3. Senec. Brev. Vit. 6.

112) Plutarch. C. Gracch. c. 6.

113) Val. Max. 9, 5, 2.

114) Appian. I, 38.

115) Appian. B. C. I, 34 — 53. Vellei. 2, 15. sqq. De Brosses Hist. de la Rép. Rom. I, 9. 10. Sigon. Ant. J. Ital. 3, I. p. 745. sqq.

redacti, in quibus postremi ferrent suffragia, paulo post tamen in veteres omnes quinque et triginta tribus distributi sunt,[116] invitis quidem civibus veteribus, qui id rei publicae detrimento fore, recte iudicarent.

116) Appian. 1, 53. Vellei. 2, 20. Sigon. Ant. J. Ital. 3, 1. p. 750. sqq. cf. § 10. Not. 47.

II.

§. 19.

Hoc bello, quod sociale, Marsicum ab auctoribus Marsis, et Italicum appellatur et nobilissimae iuventuti Romanae duobus etiam consulibus, Rutilio et Porcio Catoni interitum attulerat, C. Marius parum prospero successu rem gesserat; contra L. Cornelii Sullae virtus in primis fuerat illustris eiusque maxime opera civitates seditiosae ad officium redierant. In urbe recrudescebat vetus illud malum de aere alieno, quum debitores bellum et seditiones causantes pecuniam debitoribus differrent reddere, et praetor Asellio, qui disceptantes lege agere iussisset, inter sacrificandum in medio foro occiditur. Mox factionum principes iustis exercitibus, ut in bello mos est, rem gerunt adversus se invicem, et victoriae praemium petebatur patria.[117] C. Marius, Arpinas, humili et obscuro loco natus, hirtus atque horridus, insatiabilis et immodicus gloriae, impotens semperque inquietus, varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, ceterum literarum rudis, sed inter arma laboribus periculisque assuetus,[118] bello deinde Iugurthino Metelli imperatoris legatus industria, probitate, continentia, omni bellica laude adeo populi Romani studia in se converterat, ut Metello iterum consulatum petenti, spreto senatus decreto novo exemplo ac pene inaudito novum hominem

117) Appian. 1, 54. 55. cf. §. 1. Not. 3.
118) Vellei. 2, 11. et ibi Ruhnken. Liv. Epit. 69. Sall. J. 63.

praeferret; atque quum ipse milites non more maiorum, neque ex classibus scriberet, sed capite censos plerosque tanta multitudo apud eum nomina daret, ut cum maiore etiam numero, quam a Senatu decretus fuerat, in Africam proficisceretur a. U. 647. Urbes munitissimae et castella capiuntur, coniunctae Numidarum et Maurorum vires iterum iterumque profligantur, Iugurthae socius, Bocchus rex per legatos a Mario petit, mitteret duo fidissimos, quibuscum de pace ageret. Proficiscitur cum A. Manlio consulis quaestor L. Sulla, cuius consilio, auctoritate, precibus adductus Maurus, impetrata primum per legationem a senatu populoque Romano venia cum spe foederis et amicitiae nihil adhuc metuenti Numidae insidias tendit. Ita Iugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est a. U. 648. Inde initium simultatis; rem enim gestam Sulla curaverat annulo insculpendam, quo literas obsignare solebat, palamque sibi successum illum vindicabat: ea vero iactantia vehementissime mordebat Marium, qui, antea iam infestus nobilitati, nunc eo cupidius summos honores affectabat, quo gravius aliquando nactus per asseclas suos ac socios quolibet pretio venales summam potentiam, adversariorum suorum iniurias ulcisceretur.

§. 20.

Interim Germanorum ingens agmen a septemtrione 119) Italiae appropinquat, cladesque alia super aliam nunciatae luctu omnia et terrore implent. In uno Mario spes atque opes civitatis; itaque absens consul creatur iterum a. U. 650. Arte eius et virtute militum ad Aquas Sextias Ambrones et Teutoni, apud Vercellas Cimbri profliguntur, actoque splendidissimo triumpho victori sextus consulatus continuatur a. U. 654. Eum divisa per tribus pecunia obtinuerat, magna cum offensione nobilium, qui qualem se experturi essent, mox ostendit Saturnino tr.

119) cf. Tac. Germ. 37.

pl. et Glancia praetore, hominibus seditiosissimis, in societatem assumtis. Marianis militibus sortes Africani agri decernuntur, senatores in leges Sempronias iurare iubentur, Q. Metello aqua et igni interdicitur, deniqne Memmius consulatum petens a competitore Glaucia in campo Martio palam interficitur. Tum vero Senatores, equites, plebs ad arma concurrunt, et Marins trepidans, ut in re subita agmini praeire cogitur; Saturninus et Glaucia cum sociis in Capitolium compelluntur; siti tandem compulsi in forum descendunt, ubi, concedente ipso Mario, populus iratus eos obtruncat. Leges illae fuerunt irritae.

Hic rerum eventus Mario, in artibus forensibus omnino parum exercitato, tantum auctoritatis et gratiae apud ipsam plebem detraxerat, quantum virium aemulo eius, ab Optimatium imprimis factione accessit, adversaria Mario et maxime infesta. L. Cornelius Sulla, gentis patriciae, literis Graecis atque Latinis perpolitus, animo ingenti, facundus, callidus, ingenio ad gerenda negotia solertissimo, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior, familiam prope iam exstinctam maiorum ignavia sua virtute ad pristinam claritatem splendoremque provehere statuerat.[120] Legatus Marii contra Cimbros proficiscentis, dum hi exspectantur, Gallorum duces fuderat, unumque eorum Tectosagum regulum Copillum vivum ceperat, Marsos deinde, gentem Italiae potentissimam, a Cimbris ad Romanorum societatem perduxerat. Quibus rebus offensus invisusque consuli in Q. Catuli castra se contulerat, ab eoque maximis rebus gerendis praefectus gentes Inalpinas saepe profligaverat, impeditoque propter agrorum vastationes commeatu, talem industriam probaverat, ut et Catuli militibus annonam uberem praestaret, et ab his etiam Marianorum sublevari inopia posset; qua re Marii animum

120) Sall. J. 95. Non video causam, cur Zachariae hunc locum vellet mutare in: Sullae gentis patriciae fuit, nobilitate familiae prope iam etc. cf. Zachar. Sulla, 1, p. 5. not. Potius legendum est: Sulla gentis patriciae nobili fuit familia (i. e. ex nobili fuit familia), prope iam exstincta etc. Plutarch. Sulla. Vellei. 2, 17. Val. Max. 6, 9, 6.

denuo vulneratum fuisse ipse professus est.[121] Sed maxime veterem aemulationem inflammavit Bocchi regis donum, qui statuas tropaeis ornatas et iuxta effigiem Sullae auream, suamque tradentis illi Iugurtham, monumentum amicitiae suae cum populo Romano, miserat. Quae signa in Capitolio posita quum detrahere Marius, acriter repugnante Sulla, cuperet, paulum abfuit, quin res ad vim perveniret, nisi rixa amicorum interventu sedata esset, quum praesertim eo tempore res publica propter bellum Sociale in summo discrimine versaretur.[122] Ibi prae Mario iam senescente et segni, ceterisque ducibus, Sullae tum praetura functi imprimis virtus, Samnitium victoris, ita enituit, ut petens consulatum pene omnium civium suffragia ferret, quumque eodem tempore bellum contra Mithridatem Ponticum regem decerneretur, qui occupata Asia universos cives Romanos redditis civitatibus literis uno die eademque hora interfici iusserat,[123] sorte obvenit eidem Asia provincia a. U. 666.

§. 21.

Marius interim in Campo Martio senis ridiculi, equum iuveniliter agitantis, spectaculum praebebat; Publii Scipionis demum, tr. pl. ope, consulem et senatum antisenatu suo, ut tria millia gladiatorum appellabat, coercentis, assecutus est, ut abrogato Sullae imperio sibi bellum Mithridaticum decerneretur. Quo audito Sulla, tum absens in Campania cum exercitu, in urbem revertitur, adversarios non sine multorum caede exturbat hostesque iudicat; aucto senatu trecentis ex equestri ordine adlectis,[124] reddita ei pristina auctoritate in legibus ad populum fe-

121) Plutarch. Sulla. 4.

122) Plut. Mar. 36. Sull. 6.

123) Cic. Flacc. 25. Vellei. 2, 18. App. B. Mithr. 22, 23. Non omnes interfecti sunt cf. Tac. 4, 14.

124) *Κατέλεξαν ἐς τὸ βουλευτήριον ὀλιγανθρωπότατον δὴ τότε μάλιστα ὄν, καὶ παρὰ τοῦτ' εὐκαταφρόνητον, ἀθρόους ἐκ τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν τριακοσίους.* Appian. 1, 59. cf. cp. 100.

rendis, restitutis comitiis centuriatis, ex Servii Tullii instituto, novum consulem Cornelium Cinnam in verba sua iurare iubet, atque ita ordinata re publica in Graeciam adversus Mithridatem pergit. Ita per seditiones et certamina ad caedes ventum est, a caedibus ad bella, et ex illo tempore omnes contentiones civium armis decerni coepere.

Dum Marius divina quasi fortuna e paludibus Minturensibus periculoque mortis servatus inter ruinas Carthaginis versatur, Cinna, iurisiurandi parum memor, lata iterum Sulpicii nuper interfecti lege, ut novi cives, quorum suffragiis Marium exsulem se restiturum victoriamque de Optimatium factione reportaturum speraret,[125] ex octo tribubus in veteres XXXV. distribuerentur, accitaque eo nomine ingenti totius Italiae in urbem frequentia, a Cn. Octavio collega Optimatium viribus, facto in ipsa urbe proelio, expellitur, consulatusque ex auctoritate senatus abrogatur. At ille corrupto pecunia exercitu, qui circa Nolam erat, armatis servis, cum trecentis cohortibus patriae bellum infert et Marium ex Numidia revocat. Roma vi expugnatur, clausisque portis per quinque continuos dies totidemque noctes Marii satellitumque suorum furor, quos Bardiaeos vocabat, nobilissimorum virorum civiumque innocentium sanguine satiatur.[126] Fine anni (a. U. 668.) Cinna et Marius consules fiunt; sed Marius, fama de Sullae adventu exterritus, septimo decimo septimi consulatus die febri correptus interiit. Ita caedes aliquamdiu quievere; a direptione bonorum et proscriptionibus nihil cessatum est.

§. 22.

Sulla victis Mithridatis ducibus expugnatisque Athenis in Asiam traiecerat, regemque multatum parte navium duobusque millibus talentorum Asia decedere, Pontique

125) Appian. 1, 55. 64. sqq.
126) Appian. 1, 71. sqq.

finibus se continere iusserat. Cinnam consulem contra victorem profecturum milites sui occiderant. 127) Sulla a Brundisio, ubi cum exercitu non ita magno, sed ad ducis imperia paratissimo, magnaque pecunia et apparatu ad res quantumvis amplas aggrediendas idoneo 128) escenderat, vires suas adversariorum copiis arte ac dolo pellectis auget, novos Consules, Cn. Papirium Carbonem tertium, C. Marium, C. F. (a. U. 672.) resistentes proelio vincit, Damasippo praetore interim ex voluntate Marii Consulis Sullanae factionis principes, qui in urbe erant, trucidante; 129 a) expugnatisque Marianorum urbibus, caesis ducibus, profligato denique post acerrimam dimicationem sub ipsis Romae portis Samnitium exercitu, captisqne castris Samnites omnes interfici iubet. Ita victor urbem ingreditur, statimque senatum in aedem Bellonae convocari iubet. Ibi dum verba facit, ad octo millia, qui se dederant, in Circo Flaminio, *) circumstante victore exercitu, caeduntur; ad quorum tumultum et clamores exterritis Patribus, Hoc agite, inqnit, Patres conscripti: pauci seditiosi iussu meo puniuntur. 129 b) Eam vero crudelitatem in victore nemo opinatus fuerat; itaque pavor metusque omnium animos invadit. Proximis deinde diebus per urbem totamque Italiam in omnes, quos adversatos Sullae eiusve satellitibus constabat, plerosque etiam, quorum aut dignitas invidiam, aut res familiaris avaritiam excitasset, summa licentia atque crudelitate sae-

127) Appian. 1, 78.

128) Appian. 1, 76.

129 a) Appian. 1, 88.

*) Sic Plutarchus Sulla c. 30. Pro Circo villam publicam habent Liv. Epit. 88. Val. Max. 9, 2, 1. Flor. 3, 21. alii. cf. Leopold ad Plutarch. loc. cit. Drakenb. ad Liv. Ep. 88. Erat autem haec villa in campo Marcio prope illum Circum et aedem Bellonae, Liv. 4, 22. 30, 21. 33, 24. Varr. R. R. 3, 2. ab init. Ceterum illud Sullae dictum, ut multa alia a Plutarcho aliisque de Sullae crudelitate tradita Appianus silentio transmisit.

129 b) cf. Leopold ad Plutarch. Sull. 30.

vitum est, ut Sulla etiam in Senatu interrogaretur, ecquem vero suppliciorum finem statuisset; et Catulus palam diceret: Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Denique tabulas proposuit, quibus proscriptorum nomina continebantur.[130] Hoc bello et per illos dies amplius centum millia civium Romanorum occisa esse dicuntur, in quibus senatores adversae factionis XC, consulares XV, equites Romani bis mille sexcenti, praeterea divites omnes.[131] Interfectoribus et indicibus praemia data; et ut bona proscriptorum, ita quaedam etiam civitates sub hasta veniere, ut Interamna, Praeneste, aliarum arces moeniaque diruta.[132] Exhausta denique civitate, quum pacata omnia viderentur, ad rem publicam ordinandam Sulla se contulit, idque ut honestiore aliquo nomine aggredi videretur, quadam libertatis specie relicta, comitiis centuriatis interregem prodi iussit, per quem ipse deinde comitiis tributis dictator perpetuus crearetur. u. U. 673.[133] Triennium eum honorem gesserat, quum praeter omnium opinionem pro concione eum deposuit professus, rationem se actorum omnium, si quis reposcat, redditurum esse,[134] atque dimissis lictoribus et custodia, voluptatibus sese dedidit. Hinc, affecta valetudine, in Cumanum profectus venando, piscando, ambulando tempus consumsit, vitamque finivit febri correptus nocte eius diei, quo testamenti tabulas confecerat, exacto aetatis anno sexagesimo, a. U. 676.[135] Corpus Romam magna cum pompa delatum atque in Campo Martio combustum est.

130) Liv. Epit. 88. et Freinsh. Suppl.

131) Appian. 1, 82. 93 — 95. 103.

132) Hae urbes, uti Samnites, Marianis partibus favebant. Appian. 1, 65. 68. 87. 88. 94.

133) Appian. 1, 98 — 100.

134) Appian. 1, 3.

135) Foedo Sullam morbo (φθειριάσει) perisse, quod Plutarchus tradidit in Sulla c. 36. fin. et qui eum secuti sunt, quia et iusto testimonio caret, et ceteris, quae de ipso commemorantur, repugnat, ab inimicis commentum esse recte iudicat Zachariae in Sulla 1. p. 161. sq.

§. 23.

Sullam Appianus malum malo sanantem accessisse ad dictaturam scribit,[136] restitutaque tranquillitate in civitate et ordinata re publica, deposito etiam summo magistratu, securum esse versatum in urbe, sive quod tanta in omnibus superesset dictaturae reverentia, sive quod secum reputarent, eius tyrannidem, etsi gravem, tamen rei publicae fuisse utilem. Vere quidem; nimirum post saevam tempestatem omnia vasta esse solent. Ita terror metusque et caedes et Italiae vastitas omnium mentes animosque occupaverat, ut nemo pristinae virtutis reminisceretur, nemo, etiamsi indignissima pateretur, manus contra tyrannidem attollere, aut vocem liberam emittere auderet. Nam primum Sulla factionem adversariam, id est plebis, cuius vis in Samnitibus imprimis et in equitibus Romanis erat, pene radicitus exstirpaverat; si quid de ea superesset, id sibi beneficiis et praemiis devinxerat, ut Italicos, nuper 35 tribubus adscriptos; deinde factionem suam, id est nobilitatis s. aristocraticam, iam victricem, auxerat possessionibus, pecunia, honoribus: itaque non solum cinctus erat amicorum gregibus, quorum res et vita in ipsius salute continebantur, verum etiam armatorum millibus, partim per Italiam in colonias descriptorum, partim in urbe, qui facinorum impunitatem in Sullae incolumitate reponerent, imprimis illa decem millia, quos florentissimos aetate et viribus ex proscriptorum servis lectos et Cornelios de suo nomine vocatos civitate donaverat, omnes Sullae faventes, adversariis vero infesti et formidabiles.[137] Accedebat quod omnia eius facta legitime factorum speciem prae se ferebant: Dictaturam invaserat, sed prodito prius interrege, qui comitiis praeesset, deinde lata lege ad populum de dictatore creando et comitiis tributis habitis, atque ita

136) *Κορνήλιος Σύλλας, κακῷ τὸ κακὸν ἰώμενος, μόναρχον αὑτὸν ἀπέφηνεν ἐπὶ πλεῖστον.* Appian. B. C. I, 3.

137) Appian. I, 100. 104.

creatus summum magistratum more antiquo obtinebat, sed in tempus incertum, donec imperium seditionibus et bellis concussum, satis stabilitum foret; pro ea igitur potestate imperium habebat infinitum, quidquid e re publica esse videretur, perficere poterat, Marianae factionis homines aut iure belli puniebantur, aut iudiciis extraordinariis per Italiam institutis.[138] Et Sullae acta Senatus populusque Romanus rata habuerat, statuam etiam auratam equestrem pro rostris ei posuerat.[139] Tum pace per Italiam (externa enim bella, ut in Hispania et Africa, quo Pompeium misit, parum curabat,) et tranquillitate restituta legum ac poenarum metum antea neglectarum revocaverat.[140] Denique ut populum Romanum a laboribus recrearet, ut aiebat in publico dolore ludens, statim post dictaturam susceptam splendidissimum triumphum egit de bello Mithridatico,[141] et athletas ceteraque Graecorum ludicra in urbem transtulit,[142] deinde universo populo per aliquot dies continuos epulum dedit magnificentissimum.[143] Ita munitus undique et summa potestate instructus aggressus est rei publicae formam mutare et circumcisa atque coercita populi licentia plus auctoritatis et potentiae ad senatum et nobiles transferre.

---

138) Appian. 1, 96.
139) Appian. 1, 97.
140) Exemplum severitatis prodidit in Lucretio Ofella, quem, quia invito dictatore contra leges ante quaesturam et dictaturam consulatum petebat, in medio foro interfecit. Appian. 1, 101.
141) Itaque Graeciae et Asiae multas urbes, civium Romanorum nullum oppidum vexit. Val. Max. 2, 8, 7.
142) Appian. 1, 99.
143) Plutarch. Sulla. c. 35.

III.

§. 24.

Sulla igitur antiquam illam rei publicae formam, quam supra descripsimus,[144] restituere, id est, a populo, cuius arbitrio adhuc omnia regebantur, rem summam ad Optimates s. Nobiles[145] transferre conatus est; sed quum neque iidem homines, neque iidem mores, aliaque subinde novata essent, multa ad haec ipsa erant accommodanda. Ad id negotium eum praemeditatum accessisse certamque rationem et consilium secutum esse, fuerunt qui contenderent; at multa sunt signa, quae eum aut tempori cessisse, aut casu in leges incidisse, aut etiam animi impetu et cupiditate magis quam consilio egisse ostendant.

Sulla statuerat, quo facilius leges suas (sic appellabat singula instituta, quibus rei publicae status et ordo mutaretur) perferret omniaque ex sententia sua procederent, prius inimicos suos e medio tollere. Itaque legem de proscriptis tulit, quae inter ceteras Cornelias primum locum obtinet, qua cautum, ut, quos ipse proscripsisset, hostes populi Romani essent et impune occidi possent, ut eorum bona venirent, pecuniaque ista in aerarium redigeretur: ne quis proscriptum iuvaret: ne proscriptorum liberi ad honores magistratusve pervenirent.[146] Inde ta-

144) cf. I, §. 5 — 10.
145) C. Rep. 3, 14.
146) Bachii hist. Jurispr. Rom. II, 2, §. 72.

bulae publice propositae sunt, in quibus inscripta erant proscriptorum nomina, singulis deinceps diebus novae, praemiumque binorum talentorum singulis percussoribus promissum. Primum urbs caedibus repleta est, deinde etiam tota Italia iudicia habita, quibus in incolas non solum, sed etiam in totas civitates saevitum est. 147) Hoc modo exhausta Italia, pulsis aut morte multatis veteribus incolis, in vacuos agros partim publicos, partim in proscriptorum agros, praedia, oppida virorum circiter centum viginti millia, id est tres et viginti legiones, ipsius militiae assuetas deduxit, hisque agris oppidatim divisis, coloniarum militarium primus auctor fuit. 148) Iamque Italia tota novam faciem induerat; incolae omnes et in urbe et extra urbem, exceptis servis cives erant obtinebantque ius Quiritium, etiam libertini illi Cornelii, quum census per illud triennium neque ageretur, neque eius

---

147) Quatuor millia et septingentos proscriptionis edicto iugulatus in tabulas publicas retulisse Sulla traditur. Valer. Max. 9, 2. In quibus duo millia senatorum et equitum fuerunt. Quadraginta civium millia eum interfecisse, praeter eos, qui in proeliis ceciderant, memoriae prodidit Dionys. Ant. Rom. 5, 77. cf. Plut. Sull. 31. Appian. B. C. 1, 95. sq. Dio Fragm. CXXXVII. Flor. 3, 21. Vell. 2, 28. Cic. S. Rosc. 8, 21. Sall. Cat. 37, 6. „Lex Cornelia, quae proscriptum iuvari vetat." Cic. Verr. 1, 47, 123. cf. Hotom. ad Cic. S. Rosc. 43, 126. Ernesti Clav. v. Cornelia Lex de Proscriptis. De proscriptorum liberis, senatu honoribusque exclusis cf. Zamosc. de Senatu R. Lib. I. p. 22. 25. De bonis proscriptorum venditis et dilargitis Cic. Agr. 2, 21, 56. S. Rosc. 2, 6. Quint. 24, 76. ibique Garat. Verr. 3, 35, 81. Off. 2, 8. De municipiorum calamitate agrisque Sullanis, ut Volaterranorum, Praenestinorum, Cic. Agr. 2, 2. 3. 4. 26. 28. 29. 3, 1. Phil. 5, 16, 44. pro Domo 30, 79. Fam. 11, 20. 13, 4. 5. Heusing. ad C. Off. 1, 14, 6. Multa invito et imprudente Sulla facta. Cic. S. Rosc. 9, 38. 43 — 45. Cluent. 8, 25. Att. 9, 11, 3.

148) Appian. 1, 100. 104. cf. 96. 97. De istis coloniis in Etruria pene tota, Latio, Campania, Umbris, Pelignis cf. Sigon. Ant. I. Ital. II, 2. p. 640. 650. sqq. et III, 4. p. 773. sqq. ed. Lips. 1715.

haberetur ratio; nobilium modo s. Optimatium et plebis in civitate erat discrimen. Ex democratia facta erat Aristocratia, quae qualis fuerit, mox videbimus in Ordinibus, Magistratibus, Comitiis.

§. 25.

1) *Ordines.*

a) *Senatorii ordinis* dignitatem Sulla et amplificavit et confirmavit primnm aucto numero, allectis trecentis opulentissimis Equitum Romanorum; nam quod Dionysius homines vulgares lectos fuisse scribit, id non de toto numero, neque semper factum intelligendum est. [149] Supplendo Senatui etiam Quaestores viginti quotannis creati. [150] De totius Senatus numero tantum apparet ex Appiano, eum trecenarium excessisse: Ciceronis aetate frequenti senatu CCCCXV affuerunt. [151] Deinde veterem illam legem revocavit, ne quid inconsulto senatu populus rogaretur ut, priusquam populus suffragium iniret, in incertum comitiorum eventum Patres auctores fierent; [152] praeterea eius Ordinis auctoritati consuluit iudiciis, quae per XL annos Equites Romani exercuerant, ad Senatum translatis. [153] Senatus et appellabatur et erat Ordo amplissimus ceterisque ordinibus omnibus auctoritate antecellebat.

b) In *equestri* ordine (cf. §. 8. 16.) nihil a Sulla mutatum est, nisi quod vectigali Graecorum civitatibus aequaliter descripto publicanorum iniquitati et avaritiae fines

149) cf. supra 11. Not. 124. Liv. Epit. 89. — *Βουλήν τε γὰρ ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀνθρώπων συνέστησε (Σύλλας).* Dionys. 5, 77. Vere haec esse prodita verisimile fit Appii Claudii censura a. U. 704., qua multos equites *senatores*que notavit. Freinsh. Suppl. Liv. 109, 19.

150) Tac. 11, 22.

151) Cic. Att. 1, 14, 5. cf. Zamosc. de Senatu Rom. Lib. I. p. 88.

152) Appian. 1, 59. cf. Liv. 1, 17.

153) Tac. 11, 22. Ascon. ad Cic. Caecil. 3, 8. Vellei. 2, 32.

posuisse et in pactionibus faciendis etiam provincialium potius, quam publicanorum commodis consuluisse videtur.[154] Tam multis autem ex hoc ordine proscriptis non solum vires eius erant exhaustae, verum etiam iudiciis publicis, quae inde a C. Gracchi aetate administranda acceperat, senatui redditis, Equitum potentia ad tempus est imminuta, donec post Sullae mortem lege Aurelia atque Pompeia amissum ius recuperarunt.[155]

c) Ordo vero *plebeius* longe aliam speciem induerat. Plebis enim, quae ante Sullae dictaturam in urbe fuerat, magna pars tum Marii delectibus, et voluntaria militia, tum caedibus urbanis bellisque interierat,[156] reliquiis Sullae legibus infusa erant libertinorum multa millia, deinde ingens Italorum multitudo, quae oppida et agros veterum possessorum iam occuparant. Ceterum plebs, dictatoris potentia exterrita, ducibus suis orbata, tribunorum suorum auxilio destituta, tota ab Sullae nutu et arbitrio pendens eius leges, contra vim et licentiam latas, suffragiis suis ipsa sanciebat, neque quidquam omnino contra eum moliri audebat.

§. 26.

2) *Magistratus.*

Magistratus vocabulum duo apud Romanos significatus habere constat, quum primum munera publica significet, rei publicae administrandae destinata et cum iubendi potestate et legitima dignitate coniuncta, unde locutiones: magistratum petere, gerere, accedere ad magistratus, magistratu se abdicare, Titio magistratus datus est, apud Festum; atque hoc sensu, si dignitas modo spectatur, quia eiusmodi munera sine mercede admini-

---

154) Cic. Q. Fr. 1, 1, 11. et Manut. a. h. l. pag. 7. edit. Hagae Comit. 1725.

155) Bachii Hist. II, 1, §. 14.

156) Cic. Cat. 3, 10, 24. Phil. 5, 16. 8, 2. 14, 8, 23. Parad. 6, 2. De calamitatibus Italorum Cic. Fam. 13, 4. 5. 8. Off. 2, 8.

strabantur, etiam *honores* vocantur; deinde homines ipsos, qui tale munus susceperunt, ut in illis: magistratus creare, magistratus inssit. Utroque significatu etiam, si ius iubendi tantum intelligitur, potestas in usu est. Post reges exactos primum ex Patricio tantum ordine magistratus creatos, postea etiam ex Plebeiis, prima huius libelli parte demonstravimus. Initio autem in creandis magistratibus nulla certorum annorum habita est ratio; anno demum Urbis 574. Q. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone Coss. L. Villius Tappulus tr. pl. legem annalem[157] tulit, qua certos aetatis annos honorum gradibus praescripsit, eamque a nullo scriptore diserte commemoratam Cicero passim professus, se magistratus, quos gesserit, omnes anno suo, hoc est, legibus finito, obtinuisse, optime illustravit. Is Quaestor in Siciliam ivit anno aetatis XXXI, aedilis curulis fuit sexto post anno, aetatis XXXVII; deinde Praetor XL, Consul XLIII.[158] Sed leges istae saepe non observatae sunt. Ante iam L. Genucius tr. pl. legem tulerat plebis-

157) Legem Villiam s. annalem non modo eam ob causam fuisse latam, ut ii, qui rem publ. capesserent, essent viri rerum civilium gnari ad gerendamque rem publicam peritissimi, verum etiam ut alii praeter Nobiles honores petere et magistratus adire possent, non est, quod multis demonstremus. Diu autem ante Villiam legem exstitisse aut certe institutum fuisse, ne cui urbanum magistratum capiendi ius esset, antequam dena stipendia emerita haberet (h. e. ante annum ferme tricesimum), quum Polybius diserte testetur (*πολιτικὴν δὲ λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἔξεστιν οὐδενὶ πρότερον, ἐὰν μὴ δέκα στρατείας ἐνιαυσίους ᾖ τετελεκώς.* Polyb. 6, 19. ed. Schweigh.) et apud Livium 25, 2. tribuni plebis negent rationem P. Scipionis, aedilitatem petentis, habendam esse, quod nondum ad petendum legitima aetas esset: hoc tamen non semper observatum fuisse videmus cf. Liv. 7, 26. 25, 2. 26, 18. Hoc more adhibito, quo cives iuniores necdum satis experti a magistratibus maioribus excludebantur, Villius annos definivisse in singulis magistratibus, ut minorem maioremve prudentiam desiderabant et accuratius singulorum aetates descripsisse videtur. Bachii Hist. II, 2. §. 38.

158) cf. Pigh. Ann. III. p. 334. Duk. ad Liv. 25, 2, 6. 40, 44. pr. Garat. ad Cic. Phil. 5, 17. Ernesti Clav. v. Annales.

que scito cautum fuerat, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret.[159] Hac lege renovata Sulla Dictator sanxit a. U. 674., ne quis Praeturam ante Quaesturam gereret, neve consulatum ante praeturam, neve eundem magistratum id est consulatum intra decimum annum iterum susciperet.[160] Ita quidem vetus mos restitutus, quamquam Sullam odio atque invidia factionis adversariae adductum id fecisse apparet, quum Marius, Cinna, Carbo consulatum tot annos continuos gessissent. At impudenter sane ipse legis eiusdem auctor et violator fuit, qui eundem honorem ante tempus finitum sibi deferri iusserit. Provinciales deinde magistratus lege de provinciis ordinandis coercuit, quae civitatibus provincialibus legationes Romam mittendas remittebat et magistratus ipsos vetabat diutius in provincia manere et cum imperio in urbem introire.[161]

a) *Consules*, antiquissimis temporibus Praetores, Imperatores, Iudices appellati,[162] mortuo ante annum altero, nisi creato ad comitia habenda Interrege, suffici non poterant,[163] atque inde ab a. U. 601. Q. Fulvio, T. Annio Coss. Kalendis Ianuariis magistratum inire solebant.[164] Postea, quamquam lege Valeria de provocatione,[165] praetura, censura, eorum potestati magna pars ademta fuerat, tamen summus habebatur inter ceteros magistratus, honorumque populi finis erat consulatus.[166] Novos Consules Dictator Sulla populo permiserat ille quidem, et depulso inter candidatos Q. Lucretio Ofella,

159) Liv. 7, 42.

160) Appian. B. C. 1, 100. cf. Liv. 32, 7. C. Phil. 11, 5, 11. Acad. 2, 1, 1. De Brosses I, 23. Tom. 1. p. 319. sq. ed. Diion. 1777. 4. Bachii Hist. II, 2, §. 73.

161) Ern. Clav. v. Corneliae leges.

162) Liv. 3, 55. 7, 3. Sall. C. 6. Cic. Leg. 3, 3.

163) Liv. 41, 18, 16.

164) Bredow. Untersuchungen über alte Geschichte und Chronologie. Altona. 1800.

165) Liv. 2, 8.

166) Cic. Planc. 25, 60.

quia nondum inferiores magistratus adeptus contra legem petebat, M. Tullius Decula, Cn. Cornelius Dolabella creati sunt a. U. 673. sed speciem tantum et umbram verius, quam potestatem consulatus acceperunt; dictator enim potestate plane regia praeminebat. Ipse etiam Sulla, quamvis dictator, insequente anno, tamen ad speciem quandam popularis imperii[167] sustinuit consul iterum fieri, collega Metello Pio.[168]

b) *Praetori*, qui ius in urbe diceret, primum ex Patribus creato a. U. 388,[169] quum ingens peregrinorum copia in urbem conflueret, neque unus (urbanus) iuri dicundo sufficeret, a. U. 512. alterum addi placuit, peregrinum, qui inter cives Romanos et peregrinos ius diceret.[170] Amplificatis deinde imperii Romani finibus Praetorum duplicatus est numerus, quaternosque creari visum, ut essent, qui in Siciliam Sardiniamque provincias cum imperio mitterentur. a. U. 527.[171] et aucto Hispania etiam provinciarum numero, senos, de quibus bini in urbe manserunt, quatuor in provincias se contulere.[172] A. U. 605. L. Marcio Censorino, M'. Manilio Coss. tribunus plebis L. Piso primus legem Calpurniam de repetundis tulit coercendae magistratuum provincialium libidini et avaritiae, qua cautum, ut, si quis provincialis magistratus contra leges pecuniam in provincia cepisset, ab eo repeti ex iudicio posset. Hac lege primum quaestio-

167) *ἐς ὑπόκρισιν καὶ σχῆμα δημοκρατικῆς ἀρχῆς.* Appian. 1, 102. init.

168) Appian. B. C. 1, 100. 101. Ceterum haec omnia praeter morem facta. Apud maiores Dictator comitiorum causa creabatur, si consules propter bellum ab urbe abesse cogerentur, cf. Liv. 8, 23. 25, 2. aut propter luctum comitiis praeesse nollent. Liv. 9, 7. Consules autem depositis potestatis suae insignibus, Liv. 22, 11, 5. ea munia obibant, quae Dictator iis mandasset. Liv. 4, 27. init.

169) Liv. 6, 42. 7, 1. Iisdem auspiciis, quibus consules, creabatur. Liv. 3, 55. cf. supra §. 9.

170) Liv. epit. 19. 22, 35. Freinsh. Suppl. Liv. 19, 53. et Liv. 22, 35.

171) Freinshem. Suppl. Liv. 20, 33.

172) A. U. 557. Liv. 32, 27.

nes perpetuae constitutae sunt,[173] earumque causa praeter Praetorem urbanum et peregrinum etiam reliquos quatuor in Urbe manere placuit, quibus illae quaestiones mandarentur sorte, exacto deinde anno provinciae cum imperio committerentur administrandae. Ad haec ordinaria iudicia publica, quaestionesque perpetuas deinde pertinuerunt leges Iunia, Servilia, Acilia, et Cornelia, quam Sulla Dictator a. U. 673 — 674. de repetundis tulit.[174] Idem quum alias leges de singulis criminibus eorumque poenis tulisset, ut de crimine maiestatis, de crimine falsi, de vi, de sicariis et veneficiis,[175] de parricidiis, de nummis adulterinis,[176] de peculatu,[177] singulasque de iis quaestiones cum suis quamque quaesitoribus et iudicibus constituisset, octo Praetores creati sunt;[178] iudicia ipsa, ut Senatus dignitatem augeret, ab Equitibus ad Senatores transtulit, quaestionum et iudicum creandorum rationem descripsit, quam ob rem auctoribus et conditoribus iuris Romani merito accensendus est.

---

173) Bachii Hist. II, 2, §. 45. Ernesti Clav. v. *Quaestio.*

174) Cic. Rab. Post. 4. Bachii Hist. II, 2, §. 74. Klenze Fragm. legis Serviliae repetundarum pag. X. XI.

175) Digest. XLVIII, 8. Pigh. III. p. 262. Cic. Cluent. 20. Pigh. III. p. 263. Legem de sicariis et veneficis tulit, uti de eius capite quaereretur, quei hominem occiderit, cuiusve dolo malo incendium factum fuerit: queive hominis occidendi furtive faciundi causa cum telo fuerit: queive hominem libidinis, vel promercii causa castraverit.

176) cf. Digg. XLVIII, 10, 1 et 9. Cic. Verr. I, 42, 108. Lex Cornelia nummaria de moneta cavebat, ne quis privatus pecuniam faceret. Ascon. l. c. Haec lex contra eos etiam data esse videtur, qui adulterinos fecissent nummos. Ex eo enim tempore nummi illi, qui vocabantur *serrati*, in usum venerunt.

177) Has leges recensuerunt Pighius Ann. ad annum 672. Tom. III. p. 262 — 265. De Brosses Hist. de la rép. Rom. I, 23. Tom. I. p. 318. sqq. Bachii hist. II, 2, §. 72 — 74. Doctissime et uberrime descripsit Zachariae in Sulla, parte altera.

178) Pomponius de origine Iuris, Digg. I, 2, 2, §. 32. quatuor tantum prioribus totidem novos Praetores adiectos a Sulla scribit. cf. Lipsii Excurs. ad Tac. I, 14. Zachariae II. p. 99.

c) *Censores*, quum aliquando Consulibus multorum bellorum cura impeditis, operae non esset urbanas res administrare, facta mentione illa ab senatu proprio magistratu opus esse, cui scribarum ministerium, tabularumque conficiendarum et custodiendarum cura, cui arbitrium formulae censendi subiiceretur, censui agendo populus suffragiis suis praefecit a. U. 311. M. Geganio iterum, T. Quinctio Capitolino quintum Coss. postea quinto quoque anno bini eodem modo creati sunt.[179] Maxima autem erat eorum auctoritas; nam omnes civium classes et ordines censurae erant subiecti, unde Plutarchus eam omnium honorum fastigium, Cicero magistram pudoris et modestiae appellant.[180] Regendis moribus civitatis constituti, senatores, qui pecunia corrupti indicassent, notatos senatu movebant, equitibus eorum nota equum publicum adimebat, plebeios in Caeritum tabulas referebat, ut aerarii fierent; ceterum publicorum et sacrorum aedificiorum cura iis erat commissa, unde viri tantummodo et generis splendore et gravitate atque meritis insignes tanto honore digni iudicabantur. Lege Marcia a. U. 489. cautum erat, ne quis Censor iterum fieret.[181 a] Sed tam triste tamque severum nomen populo Romano paulatim odio esse coeperat;[181 b] Sulla autem, qui omnem auctoritatem ad Senatum transferre cuperet, et censoriam potentiam non horum hominum, horum temporum esse iudicaret, eam prorsus sustulit, ut post septemdecim demum annos Censores requirerentur et novi fierent.[182] Id quibus de causis fecerit, non facile apparet. Mores Romanorum erant corrupti, ex quo mollities et luxuria Orientis urbem invaserat, necdum civitatem aegram publica

179) cf. §. 9. 10.

180) Liv. 4, 24. *Τιμητεία — κορυφή τις ἐστὶ τιμῆς ἁπάσης ἡ ἀρχὴ, καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις, ἄλλην τε πολλὴν ἐξουσίαν ἔχουσα, καὶ τὴν περὶ τὰ ἤθη καὶ τοὺς βίους ἐξέτασιν.* Plutarch. Cat. Mai. c. 16. Cic. Pis. 4.

181 a) Freinsh. Suppl. Liv. 15, 17. Val. Max. 4, 1, 3.

181 b) cf. Liv. 43, 16.

182) Ascon. et Scholiast. ad Cic. Caecil. 3.

miseria et calamitates sanare potuerant. Jam quum tranquillitas redisset, Sulla, qui bonas leges et civium mores fundamenta esse salutis et felicitatis publicae profecto dudum edoctus esset,[183] quum ipse plurimas leges ad corrigendos mores dedisset, Censuram illam antiquam et severam revocare debebat, qua certe nullam habuisset magis fidam et acriorem legum suarum custodiam.

d) *Quaestores* non confundendi illi cum Quaestoribus s. Quaesitoribus rerum capitalium, qui de perduellione quaererent,[184] pecuniae publicae praeerant, eosque iam sub regibus fuisse, deinde a consulibus creatos fuisse constat. Bini fuerunt initio, urbani, patricii genere,[185] deinde alii duo provinciales adiecti, qui consulibus ad ministeria belli praesto essent, ex patriciis et plebeiis sine discrimine creandi, a. U. 333,[186] qui numerus, Italia universa subacta, vectigalibusque ac portoriis multis accedentibus a. U. 489. duplicatus est, ut essent, qui provincias quaestorias curarent.[187] Post, lege Sullae Dictatoris, viginti creati sunt supplendo senatui, cui iudicia tradiderat.[188] A Quaestura, primo honorum gradu, ad Aedilitatem curulem et Praeturam adscendebatur. De Aedilibus nihil a Sulla novatum esse constat.

e) *Tribuni plebis*, postquam a. U. 262. a Patribus restituendae concordiae causa concessum erat, ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus Consules esset,[189] quanta commoda plebi attu-

183) Polyb. 6, 47.

184) Dionys. 8, 77. Liv. 2, 41. 3, 24. 25. cf. Pighii Ann. ad. a. 244.

185) cf. supra §. 6.

186) Liv. 4, 43. Ernesti ad Tac. 11, 22.

187) Liv. Epit. 15. et Freinshem. Suppl. c. 17.

188) Tac. 11, 22.

189) De creatione tribunorum adhuc dubitant viri docti. Ex Dionysii sententia 6, 89. tribuni creati esse videntur *comitiis Curiatis*, h. e. iis, in quibus Patricii plus valebant. Sed quis sanus crediderit, Plebeios magistratus suos dari sibi passos ab iis, quorum ab iniuriis plebem defenderent? Dionysius autem sibi ipse contradicit alio loco 6, 90. cf. 10, 4., ubi per plebem

lerint, et ad quantam potentiam ipsi successu temporum pervenerint, quibus artibus ab iis Patriciorum iura ad nihilum redacta, senatus auctoritas impedita, motus civiles excitati, Italia tota ad arma contra rem publicam vocata, supra ostendimus. 190) Hanc tantam potestatem, quae summis magistratibus par esset aut etiam eos superaret, Dictator, nisi reconciliata pace, perpetuarum seditionum et discordiarum semina alere, et in tranquillitate publica sopitus tribunicias procellas denuo excitari, suas autem leges irritas esse et everti vellet, in renovata re publica relinquere nequibat. Et quidquid Tribunis demtum esset, id ad Senatum ac nobilitatem, cui favebat Sulla, rediturum, manifestum erat. Igitur eam potestatem lege lata altero dictaturae anno, quo consulatum cum Metello gessit, a. U. 674. tam angustis terminis circumscripsit, ut nulla re populi ius aeque imminutum sit. Nam quum ius auxiliandi, vetandi, intercedendi et cum populo agendi haberent, eam partem, qua maxime senatus auctoritati

creatos tribunos esse dicit; nisi forte in loco illo apud Dionys. 6, 89. verba: *νεμηθεὶς δ' ὁ δῆμος εἰς τὰς τότε οὔσας φρατρίας, ἢ ὅπως βούλεταί τις αὐτὰς προσαγορεύειν, ἃς ἐκεῖνοι καλοῦσι κουρίας, ἄρχοντας ἐνιαυσίους ἀποδεικνύουσι* etc. ita intelligere maluerit, ut concio omnium ordinum, non exceptis plebeiis significetur. Hoc constat, tribunos *comitiis tributis* creatos. Niebuhrius R. G. (i. p. 687) Patriciorum auctoritate in curiis confirmatos esse contendit. Dionys. 6, 89. tradit, Plebeios initio duos sibi creasse tribunos Luc. Jun. Brutum et Cai. Sicinium Belliutum, eosdem, qui secessionis plebis fuissent moderatores. Livius contra 2, 33. duos alios: Cai. Licinium et Luc. Albinum, qui tres collegas sibi crearint in his Sicinium fuisse. Sine dubio quinque fuerunt tribuni, ex quibus duo secessionis illius erant conciliatores. Utrum ab ea secessione usque ad a. 283., a quo tempore quinque legitimus erat numerus, etiam quinque fuerint tribuni, an duo tantum, in dubio manet. cf. Liv. 2, 58. Cic. de rep. 2, 33. Servium autem Tullium iam tribunos instituisse, qui praeessent tribubus plebeiis, constat ex Dionys. 9, 25. Ceterum numerus ille *quinque* tribunorum sine dubio ad diversas plebeiorum classes referendus est.

190) cf. §. 11. 13. 17. 18.

officere aut eam infringere poterant, ius vetandi et legum ferendarum sustulit,[191] intercessionem et auxilium reliquit.[192] Ceterum, quo magis tribunicia potestas esset ludibrio, sanxit quidem, ut senatoribus solis ius petendi tribunatus esset, sed addiderat legem, ne quis post tribunatum ad ullum alium magistratum admitteretur;[193] quo factum est, quum tribunatus ab aditu ad maiores honores excluderet, adeoque provinciae spem nullam praeberet, ut candidati ad petendum vel cogendi, aut res ad sortem revocanda, aut denique equites admittendi essent.[194]

f) *Dictatoris*, qui antiquitus Praetor maximus et Magister populi vocatus est,[195] origo ab Albanis et omnino a Latinis civitatibus repetenda est.[196] Causa creandi fuit summum discrimen rei publicae, ut esset, cuius imperio omnes dicto audientes essent, qui unus ius de tergo vitaque omnium civium haberet, et a quo nulla esset provocatio.[197] Itaque sedandis intestinis discordiis, imminentibus gravissimis bellis, postea etiam clavi figendi causa, interdum comitiis habendis, supplicationibus ludisque magnis instituendis dictus est. Hoc autem ea crea-

191) Liv. Epit. 89. Rubino Comm. de tribunicia potestate, pag. 21. sqq. Voce *Veto* leges et senatusconsulta impediebant Tribuni cf. §. 6.

192) Cic. Leg. 3, 9. 10. Caes. C. 1, 5. 7. cf. Cic. Verr. 1, 60. init. Ernesti Clav. v. Corneliae leges. Quae autem esse illa intercessio potuit, quum neque comitia essent, in quibus Tribuni, alteri alteris, intercedere possent? et quae auxilii latio, sublata provocatione ad populum, hoc est, ad tribunos plebis? cf. Ascon. ad Cic. Verr. A. 1, 13, 38. Ferrat. ad C. Cluent. 34. Garat. ad C. Cluent. 40. init. Sulla tribunis restituisse videbatur illud ius, quod antiquissimis temporibus obtinuissent; sed hoc ipsum, quod reliquerat, imago tantum erat et umbra antiqui iuris. De his docte disserit Zachariae in Sulla II. p. 12. sqq. p. 90. sqq.

193) Ernesti ad Suet. Aug. 40. Appian. 1, 100.

194) Rubino Comm. de tribunic. pot. p. 53.

195) Sueton. Iul. 77. Liv. 7, 3. Senec. Epist. 108.

196) Liv. 1, 23. Cic. Mil. 10.

197) Liv. 2, 29. 3, 20. Cic. Leg. 3, 3. Haec tamen provocatio caute intelligenda. cf. Niebuhr. R. G. I. p. 627.

tio a ceteris magistratibus differebat, quod non populus suffragiis, sed alter consulum, aut interrex ad id creatus, iussu senatus libero iudicio virum consularem nocte silentio, ut mos erat, dicere solebat.[198] Dictator deinde creatus ipse virum dignitate consulari aut praetoria Magistrum equitum dicebat, qui equitatui praeesset. Dictatoris potestas nullis finibus erat circumscripta, ceteri magistratus omnes iure suo cedebant, eiusque nutu omnia gerebantur; ipse autem negotio confecto, cuius causa creatus erat, sua sponte dictatura se abdicabat, certe non ultra tempus semestre eum administrare licebat, atque tum ad rationem reddendam cogi poterat.[199] Ceterum ei aerarium sine senatus auctoritate populique iussu non pa-

198) Liv. 8, 23. 9, 38. Saepe vero etiam eum commendabat, idque ex lege licuisse videtur, quem hoc magistratu et munere dignissimum maximeque idoneum iudicaret. Sic Liv. 8, 17. Liv. 2, 30. Curae fuit consulibus et *senioribus Patrum*, ut imperium suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio cf. Liv. 5, 46. 9, 38. 10, 11. Posterioribus autem temporibus, quum Patrum auctoritas minui, tribunorumque plebis vires atque audacia crescere coepissent, factum est, ut consul, aut si is noluisset, praetor populum rogaret, quem dictatorem dici placeret, eumque quem populus iussisset, diceret dictatorem, si ne is quidem vellet, tum tribuni ad populum ferrent, id quod ex loco Livii 27, 5. aliisque apparet. Ita paulatim res eo redacta est, ut aequata Plebeiorum hominom et Patriciorum potentia, sublatoque, quod inter utrosque fuerat, discrimine, Plebeii non solum idem prope ius, quod Patricii haberent, verum etiam in re publica administranda in honoribus magistratibosque mandandis essent pene superiores, adeoque per suos tribunos Dictatorem crearent; quamquam in eo negotio plerumque rei publicae temporumque rationem habitam esse videmus. Rebus enim trepidis, imminente gravi bello exortisve magnis intestinis discordiis, ubi celerrimo auxilio opus esset, plurimumque interesset, ut per veteres et expertos bellique peritos imperatores res publica gereretur, lo creando dictatore haud raro recessum esse a more maiorum vetereque consuetudine credibile est.

199) Liv. 3, 29. 4, 47. 9, 34. 7, 4.

tebat, neque ei ex Italia excedere erat permissum.[200] Centum et viginti annis Roma hanc potestatem non viderat, quum Sulla, licet acta eius omnia senatus populusque Romanus rata habuisset; agenda etiam rata habiturus videretur, monuit senatum, ut, quoniam sine consulibus esset res publica, comitiis interrex proderetur. Prodito L. Valerio Flacco scripsit deinde, referret ad populum, videri sibi dictatorem creandum esse, nec ad certum tempus, sed donec constituta res publica foret. Et, si populus Romanus sibi id onus imponere velit, se populi Romani causa non recusaturum. Populus libertatis umbram amplexus, Sullam dictatorem perpetuum creat. Lex etiam ab interrege lata est, qua rerum omnium plena et libera potestas Sullae dabatur, ut deducere colonias, urbes condere aut evertere, regna eripere aut dare, etiam quem vellet civium, indicta causa impune posset occidere. Dictator, accepto imperio L. Valerium Flaccum, quo rogante lex lata fuerat, magistrum equitum dixit, statimque praecedentibus lictoribus quatuor et viginti cum fascibus in publicum processit. Ea sicut omnia contra morem maiorum erant facta, regiamque magis potestatem (Or. de Harusp. Resp. 25, 54.) indicabant, quam dictatoriam, ita quae per triennium instituit, erant in re publica plane inaudita. Consules a populo comitiis creari eum iussisse eodem anno U. 673. supra commemoravimus, altero anno 674. ipse, quum simul dictaturam gereret, consul factus est cum Q. Caecilio Metello, tertio 675.

---

200) De primo Dictatore scriptores dissentiunt. Livius (2, 18.) et Dionysius (5, 71.) T. *Larcium* vocant, quamquam dubitanter; Festus (v. *optima lex*) Man. Valerium. Quum Livius et Dionysius, qui hac in parte historiae Romanae summam auctoritatem obtinent, de T. Larcio consentiant, eaque sententia veterrimorum auctorum testimonio comprobetur (cf. Liv. l. c.), non dubitaverim, eum Man. Valerio praeferre, uti iam Wachsmuth. et Niebuhr. I, 624. fecerunt. M'. autem Valerio aliquam eius laudis partem fortasse propterea veteres tribuere voluerunt, quod gentem Valeriam postea multis beneficiis sibi plebem devinxisse eiusque gratiam collegisse fama ferebat.

P. Servilius Vatia, App. Claudius Pulcher. Leges deinde tulit, comitiis centuriatis;[201] inter alias, quas iam commemoravimus eam, qua municipiis,[202] ut civium numerum deminueret, civitatem ademit;[203] contra Hispanos et Gallos civitate donavit;[204] agrariam, qua proscriptorum agros et bona,[205] magnasque praeter agrorum Samnitium, Campaniae, Umbriae, Galliae Cisalpinae, omnesque pene Volaterranorum et Faesulanorum in Etruria amicis, Corneliis illis et legionibus divisit; magistratibus in provinciis interposita exilii poena interdictum, ne captivos sui commodi causa venderent, piratarum praefectis parcerent, aut de iure suo aliquid remitterent, quumque antea lege curiata imperium in provincia prorogaretur, nunc ut senatusconsulto id fieret; qui revocatus esset, ne post successoris adventum ultra triginta dies in provincia maneret.[206] Pontificum, Augurum, Decemvirorum collegia ampliavit,[207] ut essent quini deni,[208] quumque ante, lege Domitia, populus suffragiis suis sacerdotia mandasset, sanxit, ut sacerdotes et pontifices a suis collegis cooptarentur,[209] quod initio Numae iussu factum fuerat.[210] Pomoerium auxit, licet ante eum duces Ro-

201) cf. supra §. 26, b. Not. 176.

202) cf. Fried. *Roth* de re municipali Romanorum Stuttg. 1801.

203) Orat. pro Dumo 30, 79. Novis tamen civibus, quibus civitatem ademisset, nexa reliquit. Cic. Caecin. 35. Niebuhr. R. G. 1. p. 639.

204) Cic. Arch. 10, 25. Balb. 22, 51.

205) L. Sullae pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Cic. Off. 1, 14. cf. 2, 8.

206) Cic. Fam. 3, 6.

207) cf. Zachariae Sull. II. p. 103. Ratio, cur Sulla numerum horum collegiorum ampliaverit, quam prufert Zachar., quia nuda coniectura tantummodo est, fere imprubabilis mihi quidem videtur.

208) Liv. Epit. 89.

209) Cic. Agr. 2, 7. Suet. Ner. 2. Vellei. 2, 12.

210) Eodem modo numerum pontificum collegarum, qui vocabantur septemviri epulonum sive rectius septemviri epulones, Sulla auxit. Primi creati sunt 555 iique tres, Sulla primus septem instituit.

mani magnis nationibus subactis, etiam more prisco, terminos urbis propagare noluissent.[211] Lege sumtuaria cautum est, ut Kalendis, Idibus Nonisque, diebus ludorum et feriis quibusdam solemnibus sestertios tricenos in coenam insumere ius potestasque esset; ceteris autem aliis diebus omnibus non amplius ternos, eduliis etiam pretia minora constituit;[212] eodemque modo funerum luxuriam et epulas coercuit. In Sullae denique aetatem etiam ultima assis Romani deminutio incidit.[213]

§. 27.

3) *Comitia.*

Sulla, parta iam victoria plenissima, exstirpata prope proscriptionibus caedibusque factione adversaria, re quidem erat rex et tyrannus, non auctoritate senatus et iussu populi, sed armorum vi assecutus potentiam: sed ut speciem tamen legitimae potestatis prae se ferret, paulisper ex urbe secessit, dum iussu suo Senatus Interregem comitiis consularibus habendis proderet, Consulumque novorum alterius rogatione ad populum lata ipse prisco more Dictator in tempus incertum crearetur. Ita creatum eum Dictatorem perferendis legibus, quas ipsi ferre visum fuerit, constituendaeque rei publicae, Appianus memoriae prodidit.[214] Apparet, a Sulla morem antiquum Comitiorum servatum esse illum quidem, sed ita, ut omnia ex sententia Dictatoris gererentur, qui quo modo in his quoque Nobilitatis rationem habuerit, ut in re publica superior esset, mox videbimus.

a) *Comitia Curiata*, quibus summo cuique magistratui, postquam populi suffragiis creatus esset, imperium deferebatur, id Sullae quoque Dictatori detulisse, qui in omnibus a more antiquo recessisse nollet videri, atque

211) Tac. 12, 23.
212) Gell. 2, 24. Macrob. Sat. 2, 13.
213) Niebuhr. R. G. 1, p. 511.
214) Appian. B. C. 1, 98. 99. cf. §. 23.

etsi non diserte commemoratur, tamen, quia Ciceronis aetate et diutius id institutum mansisse constat,[215] in eo nihil a Sulla novatum facile colligitur.

b) *Comitia Centuriata* iam pridem longe alia ratione, atque initio fuissent habita, instituebantur,[216] qua quia plebis suffragia nobilibus aequata erant, exceptis in civitatem sociis Italicis, divisisque in quinque et triginta Tribubus veteribus, multitudo sine dubio longe est superior.[217] Sulla iam tum, quum exturbato ex urbe Mario, aucta Senatus auctoritate, ad bellum Mithridaticum profecturus esset, Consul antiquata illa comitia ex instituto Servii Tullii haberi iusserat,[218] eumque morem priscum Dictator quoque in magistratibus creandis legibusque ferendis servavit.[219] Id quo modo effici potuerit, quum civium descriptio in tribus facta non facile mutari posset, et tribus, quarum partes iam erant centuriae, ad Ciceronis usque aetatem in comitiis consularibus commemorantur,[220] ex ea ratione, quam supra descripsimus,[221] colligi potest. Evocatis ex omnibus tribubus civibus primae classis secundum centurias, sorte ducta praerogativa citabatur; sequebantur iure vocatae centuriae eiusdem classis; deinde suffragia;[222] tum secundae classis centu-

---

215) Cic. Agr. 2, 12. cf. supra §. 10.

216) cf. supra §. 10.

217) Appian. 1, 49. 53. extr. 55. 64. 65.

218) Appian. 1, 59.

219) Appian. 1, 98. 99. 100.

220) „Me non extrema tribus suffragiorum — consulem declaravit.“ Cic. Agr. 2, 2.

221) §. 10.

222) i. e. Equitum centuriae. Ex Servii instituto Equitum centuriae XII, quibus rex plebeiorum Equitum *sex suffragia* addiderat, vocabantur primi, octoginta inde primae classis centuriae. Liv. 1, 43. cf. Cic. Rep. 2, 32. Sulla, nuper bello sociali Equitum Romanorum factioni Marianae addictorum, vires expertus, de consilio ordinem antiquum invertisse videtur, ne eorum praerogativa comitiis eventum daret. *Suffragia* autem non sex illae Servianae, sed universae Equitum centuriae appellatae esse Ciceronis aetate videntur.

riae, itidem ex omnibus tribubus[223]) et similiter reliquae. Tali modo fieri non potuit, si qua de lege nobilitas cum senatu consentiret, ut multitudo inferiorum classium eam antiquaret. Deinde nulla lex sive a Consule, sive ab alio magistratu, nisi ex Senatusconsulto ad populum ferri poterat; intercessione autem circumscripta tribunis plebis neque senatus consultum impedire, neque comitia tollere licebat.[224]) Denique a comitiis centuriatis diu iam ante Sullam iudicia de capite civium ad quaestiones perpetuas transierant; Sullae legibus accuratius descriptis causis publicis, amplificato quaesitorum publicorum iure, populi centuriae iudicia exercere plane desierunt eaque senatores administrabant.[225]) Ceterum quoad Sulla vixit, nihil in his comitiis populus, timore perculsus, nihil unquam iussit, nisi quod Dictatori placuisset.[226])

c) *Comitia tributa*, in quibus populus secundum tribus, i. e. ex urbis regionibus et locis, postea ex partibus civitatis divisus[227]) suffragia dabat, quibus magistratus minores urbani, ut Aediles curules et magistratus provinciales ut Proconsules, Proquaestores,[228]) regente Consule aut Dictatore, contra magistratus plebeii sub Tribuno plebis creabantur. Haec omnia non attigit Sulla; tribunum etiam suffragiis trecentos Equites in Senatum legit. At libertatem legumque ferendarum et iudiciorum potestatem sustulit. Libertatem impediebant illi decies mille Cornelii;[229]) legum ferendarum potestas Tribunis ademta erat, unde, quoad Sulla Dictator fuit, nullum plebiscitum factum est; iudicia Senatoribus erant commissa.

223) Cic. Phil. 2, 33. init.

224) cf. §. 26, e.

225) Cic. Verr. A. 1, 13. cf. Duk. ad Liv. Epit. 97.

226) Appian. 1, 97.

227) Gell. 15, 27. cf. supra § 6. et 10. Iove tonante, fulgurante haec comitia habere nefas erat, tumque in posterum diem differebantur. Cic. Divin. 2, 18. Vatin. 8.

228) Itaque his comitiis imperium prorogabatur Proconsulibus Duk. ad Liv. 9, 42, 2.

229) Appian. 1, 100.

Res gestas viri narravimus, qui dum in vita manebat, fortuna adeo prospera usus est, ut ne semel quidem eum destituerit. Primum in bellis gravissimis: nunquam enim cum hoste conflixit, quin victoriam reportaverit; nullam urbem oppugnavit, quam non ceperit; nullum periculum adiit, ex quo non incolumis evaserit: deinde regem versutissimum Iugurtham, cuius dolo par nemo inventus esset captivum duxit; brevissimo tempore Graeciam atque Asiam pacavit, Mithridatem intra fines paterni regni subsistere coegit, rem publicam Romanam, civilibus discordiis et factionibus laceratam sanavit pacemque et tranquillitatem restituit; nihil denique aggressus est, quod non perfecerit et ad exitum perduxerit; quam ob rem et se ipse Felicem et Epaphroditum, i. e. a Venere dilectum appellare solebat et senatus populusque Romanus statuam equestrem, ei in Rostris positam, inscripsit: *Cornelio Sullae Imperatori Felici.* 230) Nimirum veteres illi, ut olim Alexander Magnus, ut Caesar, pleraque ab ipsorum virtute profecta Fortunae tribuebant, quam ipsi regebant, non ab ea se regi patiebantur. Magna virtute praeditum fuisse necesse est eum, qui tantas res gesserit, maximas copias profligaverit, ferocissimos reges subegerit, gravissimos adversarios superaverit, funestissima bella confecerit: magno consilio deinde, ac singulari prudentia eum, qui tot inimicitias in re publica sepeliverit, factiosorum hominum animos sibi conciliaverit, pacem restitutam firmaverit, 231) rempublicam perturbatam ordinaverit, leges salnberrimas dederit, mores corruptos legibus, iudiciis, poenis corrigere conatus sit, quamquam his in rebus civilibus Mucii Scaevolae pontificis iuris peritissimi

230) Appian. I, 97. Plutarch. Sulla.

231) Ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmat (Cicero), ut his solutis stare ipsa non possit. Quinctil. II, 1, 35. Itaque quum Lepidus Italicus sibi conciliaturus, agros iis reddere vellet, quos Sulla ademerat, Senatus, metuens reip. id prohibuit. Appian. I, 107.

consilia[232]) Sullae ad manum fuisse verisimile est. Igitur si viri alicuius magnitudinem magnanimi rerum gestarum felicitate metimur,[233]) Sullam nemo facile magnorum virorum in numero habere dubitabit. At si vera magnitudo nullo tempore iustitia vacare debet:[234]) quis erit tam immanis, qui gravissimas inimicorum poenas, caedes, proscriptiones, bonorum direptiones, expulsiones veterum possessorum ab agris, alia crudelia facinora defendat? deinde, si sapientis atque consulti legislatoris reique publicae moderatoris est, rem publicam sic ordinare, ut omnia certa ratione deliberataque agantur, atque cavere, ut ne quid temere, tumultuose, violenter fiat: quis non videt, Sullam leges suas per datam occasionem potius, et impetu animi[135]) potius, quam consulto tulisse, metu magis ac terrore, quam liberi populi suffragiis sanxisse, gladio denique rei publicae vulnera resecare, non medicina sanare maluisse? Omnia milites et arma in officio continebant, non leges; Censores etiam creare nolebat; ii nempe vix Dictatoris mores probaturi fuissent. Postremo si prudenter acta, sapienter instituta eventis probantur: statim post mortem pacificatoris malum esse custodem diuturnitatis, metum apparuit. Leges Dictatoris mutatae, Tribunis potestas reddita, novae turbae exortae,[236]) et paulum abfuit, quin illa factio Catilinaria, plerique Sullani milites, largius suo usi et rapinarum veterum memores[237]) rem publicam opprimerent. Incorrupta iudex factorum est posteritas. Nemo autem Romanus homo unquam Sullam magni viri appellatione dignum iudicavit.[238])

232) Vellei. 2, 26. Appian. 1, 88. cf. Ernesti Clav. v. Q. Mucius P. F.

233) Nep. 18, 1. Cic. N. D. 2, 66. extr.

234) Cic. Offic. 1, 19. 20. cf. Fam. 1, 7, 9. Orell.

235) Sullam in omnibus modum excessisse, Appianus iudicat, B. C. 1, 104.

236) Tac. 3, 27.

237) Sall. Cat. 16. Appian. B. C. 2, 2.

238) C. Caesari *omnia* Sullae *vitia*, et nullam eiusdem virtutem habiturum, praedixit (Tiberius). Tac. 6, 46.